4° Diss. 3019 (21

4° Diss.
3019
21

BIGA ORATIONVM SECVLARIVM,
QVAS IN ACADEMIA GRYPHICA PVBLICE RECITARVNT
DVO FRATRES GERMANI, TANGLYMENSES,
ALTERAM

DE HISTORIA ET FATIS LIBRORVM SYMBOLICORVM ECCLESIÆ EVANGELICÆ IN POMERANIA,

INTER PLAVSVS. JVBILÆI SECVNDI AVGVSTANÆ CONFESSIONIS
ANNO MDCCXXX. DIE XVII. AVGVSTI,

JOHANNES FRIDERICVS BÆHR,
SS. THEOL. ET PHILOS. STVDIOSVS

HAVD ITA MVLTO POST INTER COELITES RECEPTVS;
ALTERAM

DE HISTORIA ET FATIS ORDINATIONIS ECCLESIASTICÆ POMERANORVM,

ANNO EJVS SECVLARI SECVNDO MDCCXXXV.
DIE VI. JVLII,

NICOLAVS ALBERTVS BÆHR,
SS. THEOL. ET PHILOS. STVDIOSVS.

NOTAS QVASDAM,
MATERIAS, QVÆ IN IISDEM OCCVRRVNT, ILLVSTRANTES,
ADJECIT PARENS HORVM JVVENVM

JOHANNES BÆHR,
DIACONVS ECCLESIÆ TANGLYMENSIS, AD ÆDEM
B. VIRGINIS.

GRYPHISWALDIÆ MDCCXXXVI.
APVD JACOBVM LOEFFLER.

DE HISTORIA ECCLESIASTICA

LIBRI DUODECIM

PATRIÆ DVLCISSIMÆ

VIRIS CONSVLTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, DOCTISSIMIS, PRVDENTISSIMIS, AMPLISSIMIS

DNN. CONSILIARIIS PROVINCIALIBVS,

DNN. CONSVLIBVS,
DNN. SYNDICIS,
DNN. CAMERARIIS,

COETERISQVE

ORDINIS SENATORII MEMBRIS SPLENDIDISSIMIS

NEC NON

VIRIS ADMODVM REVERENDIS, DOCTISSIMIS, CLARISSIMIS

DN. PRÆPOSITO,
DNN. PASTORIBVS,
DNN. DIACONIS,

DE RE ET PVBLICA ET ECCLESIASTICA PATRIÆ INSIGNITER MERITIS, PATRONIS AC FAVTORIBVS SVIS OMNI VENERATIONE COLENDIS,

BIGAM HANC ORATIONVM SECVLARIVM, IN FRATRIS DESIDERATISSIMI MEMORIAM, ET SVI, SVORVMQVE STVDIORVM VLTERIOREM COMMENDATIONEM EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA OFFERT ET CONSECRAT

NICOLAVS ALBERTVS BÆHR.

Academiæ Gryphisvvaldensis Magnifice Domine
Rector,
Magnifice ac Generose Domine Pro-Cancellarie,
Viri summe reverenda munerum dignitate,
Juris utriusq; prudentia, saluberrima medendi arte,
Artium ac sapientiæ doctrina celeberrimi,
Viri Prænobilissimi, Amplissimi,
Dicasterii Regii Domini Assessores & Referendarii,
Ministri Verbi divini plurimum venerandi,
Viri Præcellentissimi, Clarissimi,
Hospites suo titulo, quem capit dignitas, condecorandi
Ac Tu denique, nobilissima, doctissima, studiosæ
Juventutis concio,
Commilitones Suavissimi, exoptatissimi.

OMnium, qui suam historiæ consecrarunt operam, oculis patet atque expositum est, infaustum illud sidus, (*a*) quod omni fere tempore Christianorum cœtui terribile atque horrendum apparuit: Sunt hujus rei testes locupletissimi, innumeræ illæ pene persecutiones, quibus veræ lucis atque doctrinæ cœlestis osores, iisque tum

(*a*) Figuratam hanc esse locutionem cuivis patet, adeoque nihil habet commercii cum opinione eorum, qui fata omnium religionum, adeoque & Christianæ, suspendunt

tum apertis tum clandeſtinis, recte de Deo ſentientes ac præcipientes ſaluberrime, lacerarunt, vexarunt, exercuerunt graviſſime. (b)

Quo maius autem, perſecutiones in Chriſtianos immiſſæ, damnum ſecum traxerunt, eo maius quoque fidei cœperunt incrementum, ac quotidie in veritate ſemel agnita animum obfirmarunt ſuum. (c)

Cum autem Deo rem ita dirigente ſapientiſſime perſecutionum iſtarum tempeſtas tandem aliquando deſæviiſſet ac detonuiſſet, cœtusque ſacer in tutum delatus eſſet portum, (d) aliud, idque non minus grave malum ipſi parabatur; Scindebatur ſcilicet is ac diſtrahebatur varias in partes, adeo ut cuncta veræ religionis capita vel impugnarentur acerrime, vel miſere etiam in ſenſum alienum

ſpendunt ab aſtris, inter quos nomen ſuum profeſſi Hieronymus Cardanus, Julius Cæſar Vaninus, multique alii, quorum ſtoliditatem in lucem produxit D. Joh. Frid. Mayerus, binis diſſertationibus: Utrum fata religionum dependeant ab Aſtris, MDCC. Hamburgi publicatis, quibus tertia quoque diſſertatio annexa: Utrum fata mundi, regnorum & urbium dependeant ab aſtris.

(b) Harum perſecutionum gravitatem operoſe probarunt Caſpar Sagittarius de Martyrum cruciatibus in primitiva eccleſia; Chriſtianus Kortholtus, de perſecutionibus eccleſiæ primævæ ſub Imperatoribus ethnicis, aliique plures.

(c) De incrementis Chriſtianiſmi ſub perſecutionibus egregium teſtimonium dedit Plinius ſecundus, peculiari epiſtola ad Trajanum Imperatorem, quæ exſtat inter epiſtolas ejus Lib. 10. Ep 97. Viſa eſt mihi res digna conſultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis Ordinis, utriusque ſexus etiam vocantur in periculum & vocabuntur. Neque enim Civitates tantum, ſed Vicos etiam atque agros ſuperſtitionis iſtius (ſic ethnicus nominat religionem Chriſtianam) contagio pervagata eſt. Admiranda horum incrementorum ſingularia peculiari Oratione ediſſerit Joh. Marckius, de Chriſtianiſmi propagati admirandis, quæ annexa eſt ejus hiſtoriæ Paradiſi p. 867. ſeqq. In cauſas vero, quare hodie iſta incrementa deficiant, inquirit Campejus Vitringa, Oratione de impedimentis propagandi hoc tempore Chriſtianiſmi, quæ annexa eſt Lib. 3. Obſſ. SS. edit. 1691.

(d) Id quod contigit Seculo IV. ſceptra Imperii Romani moderante Conſtantino M. qui viſo miraculoſe in nubibus crucis ſigno, cum inſcriptione: In hoc ſigno vinces; ad religionem Chriſtianam amplectendam eique pacem dandam permotus eſt. Quamvis enim Vir eruditione ſingulari per totum eruditum orbem Clariſſimus Joh. Alb. Fabricius peculiari diſſertatione Critica, de Cruce Conſtantini anno MDCCVI. Hamburgi publicata, oſtendere anniſus, crucem Conſtantino viſam fuiſſe naturalem, vereor tamen rationes ejus ſe omnibus probaturas.

atque improbum detorquerentur; *(e)* Ita quilibet fere ingenii ſui luxuriantis indoli indulgebat peſſime.

Vt igitur deperdito huic ac profligato Orbis Chriſtiani ſtatui medela adhiberetur, certa opus fuit veræ doctrinæ formula. *(f)* Multos enim Respublica ſuſtinet atque alit homines, qui quovis doctrinæ agitantur vento, hominumque verſutia in transverſum facile rapiuntur. Hi igitur omnesque de vera doctrina ut certiores reddantur, ac ſaluti eorum conſulatur, certa fidei formula erunt muniendi.

Cum porro omnia eo flectat ac dirigat conſilia ille hominum inſidiator callidiſſimus, ut non ſemen modo impuritatis ac diſcordiarum inter eos etiam, qui doctrinæ addicti ſunt puriori, ſpargat, ſed ſuam quoque aſtutiam huc convertat, ut ſeductorum errores omnium oculis non ſemper pateant, quin potius abſconditi ſub cineribus quaſi lateant, *(g)* quo incautis eo facilius fucus poſſit induci, conden-

(*e*) Cauſam huius diſcordiæ fideliter Corinthiis manifeſtat Paulus 1. Cor. XI, v. 19. Quomodo vero venenum ejus jam ſeculo Apoſtolico & Apoſtolorum proximo efficaciam ſuam in animis hominum exſeruerit, ſingulari diligentia executus eſt Vir in Hiſtoria Eccleſiaſtica verſatiſſimus Th. Ittigius, in diſſertatione de Hæreſiarchis ævi apoſtolici, & apoſtolico proximi, ejusque appendice. Poſt datam eccleſiæ pacem majores vires ſumſit in Arianis, aliisque maleſanis hominibus hos inſecutis.

(*f*) Id a primis incunabulis agnovit eccleſia, quare per quælibet ferme ſecula ejusmodi formulæ exſtant, inter quas præ cæteris antiquitate & celebritate eminent *Symbolum Apoſtolicum*, quod ex ipſo hiſtoriæ penu illuſtravit Anonymus, in hiſtoria Symboli Apoſtolici Lipſiæ publicata MDCCVI. Cujus auctorem eſſe Petrum King, Jure Conſultum Anglum, interpretem vero Gottfridum Olearium, docet venerandus facultatis Philoſophicæ ſenior Theodorus Hornius, in programmate, ad hanc Orationem p. 2. not. ** *Symbolum Nicenum*, cuius hiſtoriam eruditiſſimis obſervationibus illuſtratam Thomas Ittigius elaboravit, eamque poſt hujus mortem publicavit Lic. Chriſtianus Ludovici. *Symbolum Athanaſianum*, quo de varia exſtant eruditorum judicia, quæ hic recenſere ſuperſedemus, illud tantum allegantes, neceſſitatem harum formularum non eſſe ſtatuendam abſolutam, ſed hypotheticam.

(*g*) Hanc calliditatem Paulus fidelibus vocibus ſingulari emphaſi præditis depingit, dum Satanæ adſcribit πανουργίαν h. e. calliditatem veteratoriam ad omne nequitiorum genus exercitatiſſimam 2, Cor. XI, v. 2. μεθοδείας h. e. varias aſtutas nequitiæ methodos, ut, quando uni impedimenta objiciuntur, ſtatim aliam habeat paratam, Eph. VI, v. 11. μεταχηματισμὸν εἰς ἄγγελον φωτός. h. e. aſſumtionem

condendi eiusmodi formulæ neceſſitatem quis non facili advertet negotio? Damnum illud inſigne, quod ex defectu huiusmodi doctrinæ Symboli in primævam promanavit eccleſiam, exemplo Pelagianorum, qui plurimos imperitos in ſuas pertraxerant partes, Auguſtinus comprobat atque confirmat. Ita enim ille: *(b)* Multi eos (Pelagianos ſcilicet) propterea ſectabantur, quia Catholicæ communionis videbant ſociatos.

Vos ipſi, quæ eſt ſumma mentium veſtrarum perſpicacia, Auditores O. O. honoratiſſimi, judicate, num concordiæ potius, an diſcordiæ ſit ſtudendum? Nullus ſane dubito, quin tacito veſtro conſenſu illud ſitis excepturi: Concordia res parvæ creſcunt, diſcordia ſummæ dilabuntur. Sicuti enim concordia Mater eſt amicitiæ, non genetrix diſcordiarum & rixarum; catena indiſſolubilis fidelitatis, non tenue filum infidelitatis; firmum Reipublicæ fundamentum, non lubricum regiminis fulcrum; indeque ſumma quævis fauſta ac proſpera ſtatui affert publico: Ita quoque quilibet, niſi de ſanæ mentis ſtatu deturbatus, concordiam omnium collegiorum nutricem, tanquam eccleſiæ ſumme neceſſariam, commendabit vehementiſſime, enixiſſime, cuius quippe tam reducendæ, quam conſervandæ ac ſtabiliendæ optimum merito ſtatuitur remedium, certa credendorum formula.

Nihil ſanæ eccleſiæ fuit unquam pernitioſius, nihil ad interitum magis feſtinans, quam libido iſta credendi & ſentiendi effrena. *(i)* Recte proinde Calvinus: Sic de illa ſecta audio & ſentio, ut nihil inter homines pernitioſius, ac magis audiri poſſit execrandum; Sic illam nocere video, ut facem ardentem judicem, qua omnia ſtatim ſint conflagratura, luem certiſſimam, qua nihil non inficiendum ſit, ſtatuam, niſi obviam eatur quamprimum. Ita quidem ille.

Poſtulat

nem formæ angeli lucis, qua in apparitionibus, externam figuram, verba, mores angelorum imitatur 2. Cor. XI, v. 14. κ τ λ.

(b) In Libro de P. O. C. 17.

(i) Huic malo magna diligentia obviam ivit Theologus de eccleſia noſtra inſignite meritus, Gottl. Frid. Seeligmann, in diſp. inaug: Peſſimum ἴυγημα, ſentiendi & credendi libertiniſmum profligans. Roſtoch. 1686.

Poſtulat porro ipſorum eccleſiæ Doctorum ſtatus certam fidei ac doctrinæ formulam; Quam enim multa, quam pernitioſa eaque gravia & funeſta antiquis non ſolum, verum temporibus etiam recentioribus orta, atque enata ſint diſſidia, de certis loquendi formulis, *(k)* quæ multum haud raro ſecum duxerunt ambiguitatis, quæque eccleſiam internis & lethalibus afflixerunt vulneribus, eandemque in varias partes lacerarunt miſerrime. Niſi enim quadam quaſi facta conſpiratione animorumque conſenſione dogmata proponuntur, lapidem offenſionis objici auditoribus, experientia docet ſatis atque confirmat.

Omnes poſthæc machinas doctrinæ cœleſtis capitibus impugnandis atque evertendis ab adverſariis eſſe admotas, rerum omni tempore geſtarum monumenta ſatis commonſtrant. Quod ut perficerent, non ſolum externis inſtructi eſſe videbantur viribus; *(l)* (quam enim multis Imperatores defatigarunt precibus? quanto ſtudio in eorum animis auctoritatem Romani Pontificis firmare, religionisque evangelicæ extinguendæ conſilia ipſis inſpirare ſceleſtiſſima, auſu contenderunt nefario?) Verum etiam cauſæ ſuæ peſſimæ ac deſperatæ præſidium in mendaciis ac calumniis (quæ

(*k*) Quamvis regulæ prudentiæ pio Doctori præcipiant, ne temere in receptis ab eccleſia formulis aliquid immutet; Bene tamen & graviter monet Theologus magni nominis Philippus Jacobus Spenerus, in Præf. ad Köpkenii dialogum de templo Salomonis: Propter ſolum abuſum adverſariorum innocuas loquendi formulas minime rejiciendas, quia alias calliditate eorum maxime efficaces loquendi rationes eccleſiæ poſſint eripi; nec incommode huc trahi poſſe videtur exemplum Pauli, Gal. II, v. 4. 5.

(*l*) Huc pertinet celebris illa quæſtio: Utrum liceat religionem propagare vi armorum? Hanc vim repugnare naturæ & indoli religionis Chriſtianæ, docet Paulus 2. Cor. X, v. 4. 5. rationibus vero propugnant: Hugo Grotius de J. B. & P. L. 2. C. 20. §. 48. ſeqq. p. m. 893. ſeqq. Sam. Werenfels in Opuſc. Theol. Philoſoph. Philol. Diſſ. 2. de Jure Magiſtr. in Conſc. p. m. 45. ſeqq. Chriſtoph. Matth. Pfaffius in Primit. Tubing. P. 2. de Præjud. Theol. Diſſ. pr. §. 26. p. m. 94. ſeqq. Eam quoque adverſam eſſe praxi purioris eccleſiæ, ex hiſtoria eccleſiaſtica egregie diſcuſſit Theologus inſignis D. Joh. Guil. Baierus, peculiari diſſertatione: De propagatione fidei per vim armorum, a praxi eccleſiæ Chriſtianæ aliena. Jenæ 1686.

(quæ ſunt infernalis iſtius Genii contra pios arma) quæſiverunt; (m) quibus hoſtium telis venenatis, tanquam ſcutum & munimentum firmiſſimum, cœtus hominum ſacer certam doctrinæ objecit formulam, ut non modo adverſariorum detegi facile poſſint errores, malevolorum obtereretur invidia, omnesque adverſariorum conatus repulſi in irritum reciderent; Verum etiam alii, maxime religionis ſocii, de doctrinæ veritate certiores redderentur ac firmiores.

Vocamus hic in ſubſidii partes ipſam ſcripturam ſacram, quippe quæ non una vice certas requirit fidei formulas, ac teſtimonia noſtra de doctrina perhibenda: Ita enim Paulus ad Romanos Capite X, commate 9. & 10. Quodſi & ore Dominum JEſum confeſſus ſis, & a Deo ex mortuis excitatum animo credideris, ſervabere. Nam & animo creditur ad juſtitiam, & ore fit profeſſio ad ſalutem. Poſtulat igitur Paulus non ſolum internam animi de veritate convictionem, ſed etiam confeſſionem ore proferendam, (n) & Petrus unumquemque ita excitat, priori epiſtola capite, tertio, commate decimo quinto: Semper parati eſtote, quicunque ex vobis ſpei, qua præditi eſtis, rationem petierit, ei comiter ac religioſe reſpondere. Quodſi igitur cuilibet privato hæ officii demandatæ

 ſunt

(m) Id ſub initium N. T. experti ſunt Chriſtiani, uti egregie demonſtravit Chriſtianus Kortholtus, Theologus de Hiſtoria eccleſiaſtica inſigniter meritus, peculiari libro, de vita & moribus Chriſtianis primævis per gentilium malitiam affictis. Kilon. 1683. Et tempore reformationis Lutherus ejusque aſſeclæ, quo de Balthaſ. Meiſnerus in Conſult. Cathol. de fide Lutherana capeſſenda, & Romano - Papiſtica deſerenda P. 3. p. 442. ſeq. Chriſtoph. Sontagius, diſſ. de præcipuorum quorundam Sec. 16. & 17. Theol. Luth. erud. merit. & ſcript. S. 2. §3. p. 18. ſeqq. aliique plures. Annon vero in Controverſiis eccleſiæ noſtræ domeſticis, hic quoque Iliacos intra muros peccatum ſit & extra, patebit cum cura legentibus D. Joh. Georg Walchii Hiſtoriſche und Theologiſche Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Evangeliſch-Lutheriſchen Kirchen. Jenæ 1730. & fortaſſe poſterorum, extra partes poſitorum, oculis adhuc dilucidius exponetur.

(n) Inde quæſtio inter Theologos valde diſceptata: An & quando confeſſio veræ religionis cum rerum terreſtrium, & vitæ quoque noſtræ periculo facienda. Qua de Joh. Muſæus de Eccleſ. Diſp. 6. §. 103. ſeqq. p. 368. ſeqq. Joh. Franc. Buddeus Theol. Mor. P. 2. C. 3. S. 2. §. 5. p. 543. ſeqq. multique alii.

sunt partes, ut ad respondendum sit promptissimus, ac fidei fundamentum quærenti, ac rationem petenti eius quidem spei, quæ est in illo, indicandum; Multo magis ecclesiæ incumbit communi veritatem confirmare testimonio, errantes confessione edita publica in rectam viam & tramitem reducere eosdemque Deo restituere.

Quis denique Heroum, (o) Auditores O. O. honoratissimi, sua non curat ad posteros transmittenda facta heroica? Quis non ad æternaturam nominis gloriam & famam contendit? privato certe nihil acceptius, nihil gratius potest contingere, quam gloria factorum etiam post cineres superstes: Quid igitur mirum, si ecclesia purioribus sacris addicta, de illibata doctrinæ suæ integritate posteros, certa confessionis concinnata formula, certos ac securos esse jubeat.

Licet itaque sint plura, quæ utilitatem ac necessitatem publicorum fidei symbolorum dent evictam satis ac comprobatam, recentiori tamen ævo exstiterunt plurimi, qui variis iisque profanis inducti rationibus non unius generis convitia, & in antiquiora Oecumenica & recentiora symbola effuderunt impudentissime, quorum nisi petulantia obsideret animum, pudor palmam huic præriperet; nisi impietas eos vinxisset, venerandum divini Numinis obsequium vicisset; nisi vana innovandi libidine flagrarent, utilitas sane proximi iis obstaret; nisi denique verbo divino e diametro contraria propo-

(o) De natura Virtutis heroicæ in fidelibus erudite agit D. Joh. Mich Langius in Exercitt. Theol. Posit. Polem. numero sacro septenario Disp. 3. ubi C. 1. §. 27. eam ita describit: Virtus heroica fidelium, est habitualis quædam, eaque insignior, hominis renati, ex peculiari, etsi fere mediata Spiritus sancti gratia, collata perfectio, qua talia in Dei gloriam, & ædificationem ecclesiæ geruntur, quæ, si non omnium aut plerorumque aliorum, communis sortis fidelium, saltem sui temporis genium & mores transcendunt. Virtutem heroicam gentilium, qualis in Alexandro M. Julio Cæsare aliisque se conspiciendam præbuit, idem auctor l. c. §. 4. ex influxu divino specialiori, ad regnum potentiæ pertinente, deducit: D. Joh. Franc. Buddeus vero eandem inter Pseudo-Virtutes numerat, & ex eminente quadam ambitione, voluptatis cupiditate quandoque temperata, ortum trahere monet in Theol. Mor. P. 1. C. 1. S. 4. §. 77. p. 149. 150. Quam caute vero virtus heroica a peccatis Heroum distinguenda, evolvit D. Joh. Petr. Grünenbergius peculiari disputatione de peccatis heroum fidei eminentibus. Rost. MDCCV.

proponerent, vagam iſtam docendi ac credendi licentiam nunquam eſſent admiſſuri.

Sunt vel hinc caſtigandi quam maxime Sociniani, Arminiani, & omnes, qui religionis amant adiaphoriam. Socinianorum quidem ratio poſtulat ſtatus *(p)* vt antiqua pariter & nova damnent ac rejiciant Symbola, ut ſuo furore inſano in ſacroſancta fidei capita eo liberius poſſint graſſari.

Arminianos proxime ad eos accedere *(q)* nemo forte mirabitur, qui ſecum perpendit, illos religionum tolerandarum limites eo usque proferre, ut in indifferentiſimum ruant præcipites; Formulas equidem admittunt fidei, eas tamen pro norma docendi in eccleſia minime habent & reputant. Rem omnem præcipuus illorum Doctor, eruditionis & modeſtiæ laude clariſſimus, Philippus a Limborch ita dedit expreſſam in Theol. Chriſt. L. I. C. XI. §. 13. p. 41. edit. 1700. Confeſſiones, inquit, tantum debent eſſe teſtimonia & declarationes fidei illorum, qui eas edunt, non fidei regulæ, quæ omnibus præſcribant, quid ſit credendum.

Dehinc Indifferentiſtæ *(r)* omnia Symbolorum eccleſiæ, ſive Pontificiæ, ſive Calvinianæ, ſive Lutheranæ genera ad Garamantes

 mittenda

(p) Horum odium erga fidei formulas exinde videtur provenire, quod nihil in religione velint admittere, quod non cum ratione tantopere per lapſum corrupta exacte conveniat, adeoque diſtinctionem Theologorum Orthodoxorum inter id quod eſt *ſupra*, & quod eſt *contra* rationem, exſibilent, ſcripturamque fidiculis in ſententiam ſuam pertrahere conentur, quo de conferri poteſt Joh. Pauli Felwingeri diſſertatio de Photinianorum analogia fidei. Altorf. 1664. 8.

(q) Fraternitatem inter Arminianos, præcipue recentiores, & Socinianos probat Mayerus Hiſt. Armin. n. 5. §. 1. p. 32. 33. Cui aſſentitur Joh. Franc. Budd. in Colleg. MSS. Theol. Pol. ubi notat, inter Arminianos maxime Socinianiſmi ſuſpectos, Simonem Epiſcopium, Hugonem Grotium, Conradum Vorſtium, Stephanum Curcellæum, Johannem Clericum, quoniam neceſſitatem credendi myſterium SS. Trinitatis negent, numerum articulorum fidei nimis coarctent, Chriſtum pro legislatore novo venditent, gratiæ divinæ neceſſitatem negent: Quamvis Clericus hoc omnibus modis a ſe amoliri conetur in epiſt. Critt. Epiſt. X. P. 4. Art. Crit. p. 275. ſeqq.

(r) Hi cum corrupta ſua imaginatione per omnes religiones vagentur, & quicquid in unaquaque ad eorum palatum, tantum velint arripere, mirum non eſt, formulas

mittenda proclamant, asperrimo ac gravissimo in eadem inflammati odio, ut monstrum illud, quod sibi finxerunt religionis horrendum, in tuto possint collocare.

Maledica denique Fanaticorum lingua (s) libros ecclesiarum symbolicos non leviter perstrinxit. Quid convitiandi libido hic potuerit efficere, vel solus Quirinus Kuhlmannus (t) suo commonstravit exemplo, quippe qui canino dente sapientissimum ac divinum illud institutum ita quidem laceravit in præfatione des neu-begeisterten Böhms: Lutherus vergnügte sich an der schrifftlichen eusserlichen Schalen; den Kern verlohr Er, und erklärte in der Schrifft, was Er zu erklären nicht vermochte, dadurch Er ein neuer Anti-Christ in Schaafs-Wolle ward. Er schaffte Päbstliche Mißbräuche ab, führete aber Lutherische Mißbräuche ein, lehrete den Pabst haßen, wie auch sein Wahlspruch aus blossen Pabst-Haße gekommen, da Er nur dessen Teuffels Kälber, die heydnische päbstliche Zanck-Theologie und Zanck-Philosophie hätte vertilgen, und den Anti-Christischen Doctor-Nahmen, mit dergleichen Hoch-Schul-Teuffeleyen ausrotten sollen. Er dachte mit seinen Nachfolgern

mulas Confessionis plus quam Vatiniano odio prosequi, cum videant, se per illas circumscribi, & in ordinem redigi; atque ad unam quandam religionem & ecclesiam, si salvi esse velint, remitti, quod bene notavit celebris Academiæ Wittebergensis Theologus D. Gottl. Wernstorffius de indifferent. relig. in genere §. 136. Witt. MDCCVII.

(s) Hi cum nullum fidei systema agnoscant, nec doctrinas suas ordine & cum connexione proponant, illius formulam quoque habere nequeunt; adeoque omnes fidei formulas in aliis Sectis spernunt, ut eo majori cum licentia vanis imaginationibus suis indulgere queant. Quamvis non eandem de fanaticismi natura ideam sibi forment eruditi, id quod patebit conferenti Joh Franc. Budd. Theol. Moral. C. 1. S. 5. §. 22. seqq. p. 218. seqq. cum Christoph. Aug. Heumanni Poecile T. 1. L. 2. n. 13. p. 288. seqq.

(t) Quam mirum caput fuerit, & quam intolerabilibus moribus præditus, vt etiam alii fanatici eum mente captum & a Satana seductum judicarint, docent, & mirabilia ejus fata & scripta egregie produnt autores der Unsch. Nachr. 1711. Ord. 6. p. 755. seqq. ubi quoque ejus effigies, temperamentum Melancholicum præ se ferens, conspicitur.

gern in seinem Hertzen wie Jerobeam, das Volck möchte wieder zum Pabstthum fallen, wolte etwas von demselben behalten, und machte rechte neue Meinungs-Kälber aus seinen Hertzen. (innuit libros symbolicos) Daß ein Aergerniß und Greuel worden vor den Augen des HErren HErren bis auf den heutigen Tag. Quis non damnet ac detestetur hæc Kuhlmanni insanientis maledicta? Vociferantes subinde audias fanaticos atque indifferentistas, quod Symbola eiusmodi redoleant Papatum, dum vim inferant, & gravem servitutem injiciant conscientiis, ut scilicet sub ficti Papatus commento *(u)* libros ecclesiæ evangelicæ Symbolicos exagitent, atque suspectos reddant; sed bone Deus! quam inconcinne, quam absone, quam temere Papatus reliquiæ hic affinguntur ecclesiæ Lutheranæ? quam absone hæc cum Pontificia illa confertur? Primo enim origo eiusmodi Symbolorum a Papatu minus recte derivatur, quippe qui Symbola neutiquam invenit; sed potestatem ista conficiendi, justam alias ac legitimam ecclesiæque usitatissimam, in tyrannidis instrumentum convertit, quam ecclesia e contrario evangelica improbat ac detestatur vehementissime; Deinde Papatus facultatem & ius conficiendorum symbolorum soli tribuit Pontifici Romano, evangelicam vero profitentes religionem transcribunt potestatem illam in Principes ac totam ecclesiam; Papatus fidem in Symbola postulat propter solam Pontificis Romani autoritatem, evangelici autem eandem exigunt propter consensionem eorundem cum literis divinioribus; Papatus Symbola a Pontifice vel composita vel probata absque omni examine jubet admittenda, ita namque excogitatis in concilio Tridentino dogmatibus credendum est ex mera & cœca in Pontificem obedientia, omnesque eius constitutiones, quas omisso consensu ab omnibus simpliciter admitti & probari jubet; *(w)* Minime igi-

 tur

(u) De Papatu ecclesiæ Lutheranæ obiecto conferri potest dissertatio D. Joh. Georg. Neumanni, de Papatu ecclesiæ Orthodoxæ, quæ sexta est in Chiliasmo ejus subtilissimo Wittebergæ 1696. publicato.

(w) Hinc Theologi nostri merito statuunt, per Concilium Tridentinum ejusque placita

tur totius ecclesiæ securitatem & salutem, sed solam eius dominationem absolutam respiciunt, E contrario autem Evangelici examen ejusmodi Symbolorum juxta sacræ scripturæ normam instituendum commendant; Papatus Symbola vel invitis obtrudit, neque dubitandi rationes circa Symbola enatas, vel audit vel ad liquidum deducit, a quo procedendi modo quam sint alieni Evangelici, vel sola Formulæ Concordiæ historia satis declarat. Nec tyrannidis notari potest mos ille ecclesiæ evangelicæ solennis, quo nemo, qui suum a libris symbolicis dissensum profitetur, ad sacrum admittitur munus, aut ab illo, qui officio præficiendus est sacro, post diligentem eorum lectionem & excussionem, juramentum aut obligatio in eos præstanda exigitur, *(x)* sane hac ratione nemo ad subscriptionem illorum externa quadam vi adigitur, sed quid in controversis fidei articulis profiteatur, candide & ingenue testari saltem jubetur, proveniunt hæc non

placita & anathemata, rationem unionis inter Protestantes & Pontificios factam desperatam, & ab eo tempore Romam ecclesiæ Protestantium exstitisse irreconciliabilem. Conf. Spen. Theol. Bed. P. 1. C. 1. S. 15. p. 109 seqq. ubi docet: Durch das Trientische Concilium sei die Römische Kirche vollends abgefallen, und habe eine gantz andere Art gewonnen. Jt. Es sei immerfort ein grosser Unterscheid zu machen unter der vorigen Römischen noch mit den Irthumen ringenden, und unter der Römisch-Trientischen nunmehr an die Irthum schlecht dahin verbundenen Kirchen.

(x) Omnem controversiam, quæ tantis animorum concussionibus nostro ævo agitata est, de juramento religionis causa suscepto, notissima illa distinctione inter usum rei & abusum tolli posse existimo. Quamvis enim non ubique satis caute se gerant hujus negotii Directores, idcirco res ipsa non est vituperanda, cum juramento illo nihil aliud nisi confessio veritatis requiratur, ejusque exempla etiam in Scriptura sacra non deficiant. Vid. Schertz, Syst. L. 26. p. m. 727. Conf. Joh. Franc. Buddeus Coll. Theol. Pol. P. 1. C. 2. p. m. 105. qui simul notat, æquitatem Christianam postulare, ut, si quis ex mera imbecillitate conscientiæ juramentum illud detrectet, nec alias periculum aliquod religioni inde metuendum, dispensatio ipsi ab eo juramento concedatur. An vero in hoc juramento convenientia Symbolorum cum Scriptura sacra per *quia*, an conditionate per *quatenus* asserenda, de eo quoque magna contentione disputatum; Mihi eorum partes potiores, & cum sinceritate Christiana magis convenientes videntur, qui subscriptionem simpliciter per quia faciendam urgent. Conf. D. Sam. Schelguigii Synops. Controv. Art. V. L. II. p. 71. seqq. D. Jac. Phil. Spen. völlige Abfert. D. Pfeiffers C. III. §. 9. p. 69. seqq. Budd. Coll. Theol. Pol. l. c. p. 107.

non ex Tyrannide quadam, ſed pia quadam circumſpectione, quæ ſervandæ ac tuendæ in cœtu ſacro tranquillitati & concordiæ eſt impendenda. Recte igitur Chriſtianorum cœtus non modo ætate antiquiori, verum & recentiori, conditis ejusmodi fidei incorruptæ Symbolis, præſidium ac munimentum ſibi circumpoſuit validiſſimum.

Hæc & alia excitarunt Sereniſſimos illos Confeſſores, ut abhinc ante ducentos annos, inſtauratis inde ab anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, ope Martini Lutheri ſacris purioribus, in ſolennibus Imperii Comitiis Carolo quinto Imperatori, ſuæ fidei, & quæ de ſummis religionis momentis e ſacra ſcriptura hauſerant, dogmatum maſculam Confeſſionem Auguſtæ Vindelicorum exhiberent. Cuius rei memoria cum ſidere feliciſſimo, poſt alterius ſeculi auſpicatiſſimum decurſum hoc tempore denuo recolatur, & per omnes quaqua patet eccleſiæ evangelicæ cœtus piis excipiatur plauſibus, meæ quoque erit pietatis, ut & ego hoc in Deum gratiſſimi animi defungar officio, dicendique argumentum proſequar, quod tantæ rei dignitati vel ex parte reſpondeat.

Dabo hic quicquam pace veſtra Auditores O. O. honoratiſſimi Patriæ meæ dulciſſimæ amori, & beneficia illa ſupremi Numinis prorſus inſignia, quæ in Confeſſione Auguſtana ac reliquis eccleſiæ evangelicæ libris Symbolicis in Pomeraniam fuerunt derivata cumulatiſſime, ea quas fas eſt animi humilitate deprædicabo. Id quod omnium conſultiſſime mihi aſſecutus eſſe videbor, ſi *Auguſtanæ confeſſionis, & caterorum eccleſiæ Evangelicæ librorum Symbolicorum hiſtoriam ac fata, quæ in Pomerania ſuſtinuerunt*, brevibus delineavero. Antequam vero negotium hocce aggredior, perquam ſubmiſſe, perquam enixe vos Auditores, ſuo titulo, quem quisque capit, eſtis rogandi, ut me dicturum benignis ac benevolis auribus excipiatis.

Poſtquam auguſtæ indolis Vir Martinus Lutherus, a ſummo rei Chriſtianæ Moderatore excitatus, (*y*) Wittebergæ & in locis vicinis verita-

(*y*) Vocationem Lutheri ad reformandam eccleſiam valde quidem exagitarunt Pontificii,

veritatem cœleſtem, poſt diuturnas quibus Orbis Chriſtianus fuerat circumfuſus tenebras in lucem cœperat revocare, animorum motus excitabantur acerrimi, ac ſtudia Lutheri ingenua, Pontificiorum indignatione excipiebantur aſperrima.

Verum enim vero ſingulari Dei beneficio eveniebat, ut interea latius evangelium diffunderetur, indies maior tenebrarum diſpellendarum ſpes affulgeret, adeo ut reſtituta verbi divini lux jam per ultimas Germaniæ oras, in ipſius ſeptentrionis fines propagaretur. Ægerrimis hæc Pontificii intuebantur oculis, variaque excogitabantur, quibus religionis evangelicæ curſus reprimeretur, ſufflaminaretur, retardaretur; At enim vero Deus disjiciebat omnes machinas tam artificioſe conſtructas. Tandem quoque veritatis cœleſtis oſores eo procedebant inſaniæ & audaciæ, ut horrendas de Lutheranornm doctrina confingerent ac ſpargerent criminationes, (z) miſero hocce vindictæ genere Caroli Imperatoris Vaninum adverſus

tificii; Verum animoſe iis obviam iverunt eccleſiæ purioris Theologi, docentes: Lutherum non ſolum habuiſſe vocationem generalem, omnibus fidelibus communem, ad profitendam & defendendam veritatem; Sed etiam ſpecialem, ad Miniſterium verbi & Profeſſionem Theologicam in eccleſia & Academia Wittebergenſi. Vid. D. Hieron. Kromayeri Theol. Poſ Pol. Art. 19. th. 2. p. 833. ſeqq. D. Joh Ad. Scherzeri Breviar. Hülſ. enucl & auct. C. 19. th. 35. ſeqq. p. 1542. ſeqq. Vocationem vero illam Lutheri mediatam quidem fuiſſe, ſed extraordinariam, dum per inſtinctum quendam divinum ſingularem, ad errores in eccleſia dominantes eliminandos, excitatus, docet Buddeus Coll. Theol. Polem. P. I. C. 3. p. m. 314.

(z) De his criminationibus Cœleſtinus in Hiſtor. Comit. Auguſt. Præf. T. 3. Perſuaſerant multis Principibus Monachi & Pontificii aſſentatores, nullo unquam tempore peſtilentiorem hæreſin excogitatam eſſe & ſparſam doctrina Lutheri eaque mentes hominum ita corrumpi & infici, ut, niſi illa opprimeretur, & igne atque ferro exterminaretur, maxima pars hominum in Germania viventium de ſalute ſua periclitatura eſſet. Et Lutherus in epiſtola 1530. ſcripta T. 5. Jenenſ. p. 28. a. Hiſpaniæ Cancellarium Alphonſum, in amico cum Melanchtone colloquio, huic ſignificaſſe: Perſuaſos eſſe Hiſpanos, Lutheranos in Deum & SS. Trinitatem non credere, Chriſtum mundi Salvatorem & B. Mariam nihili facere, ita ut non dubitent, ſi hominem Lutheranum occidant, majorem ſe Dei cultum præſtare, quam ſi Turcam e medio tollant. Et in Præf. Artic. Schmalcald. Fuiſſe Wittebergæ Doctorem quendam ex Gallis miſſum, qui palam indicarit

adverſus Lutheranos odium vehementius irritaturi; ſed iniquiſſimorum horum judiciorum procella minime eandem poterat pervertere, imo doctrinæ evangelicæ ſplendor, vanis Pontificiorum clamoribus exagitatus, quaſi vehementibus impulſa flatibus tæda, clarius enitescebat; Non enim ſine provida ſupremi Numinis cura contingebat, ut Carolus quintus, litteris per omnem Germaniam miſſis, Comitia tot precibus votisque expetita, Auguſtæ Vindelicorum anno Milleſimo quingenteſimo trigeſimo celebranda indiceret, omnibusque religioni evangelicæ addictis Principibus vel hoc imprimis demandaret officium, ut, quicquid huc usque diſſenſum a Pontificia doctrina peperiſſet, quibusque argumentis illum fulcirent, luculenta ratione, ſe præſente, in totius Imperii conſpectu & conſenſu probarent.

Ad mandatum hocce Cæſaris tanta cupiditate ſe inprimis componebat Johannes Saxoniæ Elector, divinæ conſtantiæ Princeps, ut de concinnanda doctrinæ evangelicæ formula ſerias ſuſciperet cogitationes. Vnde Luthero, Jonæ, Bugenhagio & Melanchthoni hocce injungebat negotium, ut curatius penſitatis fidei momentis, ſcripto ſibi exhiberent, quæ edendæ ingenuæ confeſſioni poſſent ſufficere: Quod cum Lutherus ſeptendecim articulis conceptis præſtitiſſet, Johannes Elector ipſe Auguſtam Vindelicorum magno tendebat animo, Luthero in arce Coburgenſi ſecuritatis cauſa relicto. Reliqui etiam Proteſtantium Ordines, Georgius Marchio Brandenburgenſis, Erneſtus Dux Brunſwicenſis, Philippus Haſſiæ Landgravius, Wolffgangus Principis Anhaltinus, Johannes Fridericus Saxoniæ Electoris filius, ac reliqui civitatum Legati Auguſtam Vindelicorum confluebant, auguſto hoc conſilio muniti, ut viribus unitis atquæ unanimi conſenſu veritatem illam cœleſtem in totius Imperii conſpectum producerent.

dicarit, Regem ſuum perſuaſum eſſe, nullam apud Lutheranos eſſe eccleſiam, nullum Magiſtratum, nullum conjugium. Sed promiſcue omnes pecudum more vivere pro arbitrio. Conf. Diſſ. D. Joh. Schmidii de Aug. Conf. nomine, occaſ. autorit. oblat. & accept. §. 21. p. m. 15. ſeqq.

E ſeptendecim iſtis, quos commemoravimus modo, articulis, fundamenti loco poſitis, formula fidei, quæ Auguſtanæ Confeſſionis nomine poſtea venit, Melanchthone ſtylum commutante, (*aa*) poſtea concinnabatur, & die vigeſimo quinto Junii Auguſtiſſimo exoptatiſſimo, Deo propitio, ringentibus Pontificiis, publicis in Comitiis, lingua vernacula omnibusque manifeſta recitabatur. (*bb*)

Hoc ſane Evangelici Ordines his Comitiis conſequebantur, ut infamia execrabilium errorum, quos adverſarii ipſis adhuc nullo veritatis ſuffragio imputaverant, publice liberarentur, ipſeque Imperator mitiorem de iis ſententiam ſuo præciperet animo.

Cum Auguſtana enim Confeſſione, ſtatim a tempore exhibitionis & prælectionis plures in linguas translata, doctrina evangelicorum totam per Europam opinione celerius diſſeminabatur. Quæ omnia dum gerebantur, ſub primis ſtatim religionis a Luthero emendatæ auſpiciis, lux divini verbi ope Johannis Knipſtrovii, (*cc*) Monachi tunc, poſtea Superintendentis Pomeraniæ citerioris, Piritii; &

(*aa*) Hæc ratio eſt, quare nonnulli tum ex Pontificiis, tum ex Calvinianis, Melanchthonem pro præcipuo Auguſtanæ Confeſſionis autore venditant, eique præcipuas, etiam præ Luthero, in condenda ea partes adſcribunt. Verum illos animium hac in re affectibus ſuis indulgere patet: Lutherus enim non ſolum fundamentum Auguſtanæ Confeſſionis in ſeptendecim articulis jecit, ſed etiam poſtea Melanchthon ipſam Confeſſionem, ex iſtis articulis conflatam, in omnibus ejus judicio ſubjecit, adeoque cum veritate magis conſentaneum, ratione inventionis Autorem Auguſtanæ Confeſſionis totum coetum ſive eccleſiam Lutheranam; ratione diſpoſitionis & directionis Lutherum; ratione elocutionis vero Melanchthonem. Conf. D. Joh. Schmidius diſſ. cit. §. 13. ſeqq.

(*bb*) Quanti negotii res fuerit, ut recitationem illam Confeſſionis ſuæ obtinerent Proteſtantes, docet Sleidanus in Comment. de ſtatu relig. & Reip. Carolo V. Cæſare L. 7. p. m. 172. Quam gratus vero & autoribus acceptus fructus eam ſecutus, tradit Schmidius Diſſ. cit. §. 36. ſeqq.

(*cc*) Vitam ejus deſcripſit Theologus de eccleſia tota Orthodoxa, & imprimis Pomerania meritiſſimus, Patronus noſter, dum viveret ſingularis, cuius inſtructiſſima bibliotheca non niſi cum inſigni utilitate nobis patuit, D. Joh Frid. Mayerus in Præf. Synod. Pomeran. Prolixius vero multo & exactius ſumme reverendus D. Jac. Henr. Balthaſar, Fautor ac amicus noſter æſtumatiſſimus in der 2ten Sammlung einiger zur Pommeriſchen Kirchen Hiſtorie gehörigen Schrifften pag. 317. ſeqq.

& Johannis Bugenhagii, (*dd*) Treptoviæ, ubi munus Rectoris ſumma cum gloria ornabat, ita cœperat reſplendeſcere, ut cœleſtis hicce ignis totam per Pomeraniam emitteretur, ac purior religio, initio ab urbibus majoribus jam anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio facto, in cæteris quoque conniventia quidem Principum progrederetur. (*ee*) Bogislaus enim decimus, anno quem dixi, veteri ritu diem obierat ſupremum, & Georgius filius natu major, a quo usque ad annum milleſimum quingenteſimum trigeſimum primum ſumma rerum Pomeranicarum pendebat, a ſacris Lutheranis alienum gerebat animum; (*ff*) ut proinde fratris Barnimi voluntati, in Lutheranos propenſiſſimæ, (*gg*) eventus exoptatus tunc quidem reſpondere non poſſet.

(*dd*) Huius vitam delineavit P. Vincentius publica Oratione Wittebergæ 1558. recitata, quæ tertio declamationum Melanchthonis tomo inſerta, denuo vero Haffniæ recuſa 1706. cura C. F. Læmmelii. Conf. quoque D. Balthaſar Præf. ad Bugenhagii Pomeraniam p. 6. ſeqq. & Joh. Dav. Jänicken gelehrt. Pomm. T. 1. P. 1. per tot.

(*ee*) In urbe Tanglymenſi, ad Panim fluvium in Pomerania citeriori ſita, tantos jam anno exhibitæ Auguſtanæ Confeſſionis fecerat progreſſus, vt Monachi Auguſtiniani coacti fuerint Cœnobium ſuum cum omnibus ad illud pertinentibus ſenatui tradere, ſibique victum & amictum tantum ad dies vitæ paciſci, quo de teſtantur litteræ reverſales datæ MDXXX. feſto S. Jacobi, alia occaſione in lucem producendæ.

(*ff*) Hoc proveniebat partim ab autoritate Georgii Ducis Saxoniæ, acerrimi Lutheri ejusque ſequacium hoſtis, qui eum e baptiſmo ſuſceperat, & in aula ſua, quo eum Pater miſerat, educaverat; Partim a timore, ne mutatio religionis mutationem ſtatus Reipublicæ poſt ſe traheret, cujus præludia ipſi videbantur varii motus, qui occaſione religionis evangelicæ in urbibus Pomeraniæ, Sedini, Straleſundiæ, aliisque oriebantur. Huc accedebat aſtutia Monachorum, qui religionem evangelicam multis apud eum calumniis onerabant, Pontificiorum vero, tanquam religionem avitam Georgii, multis in cœlum laudibus evehebant, teſtantur de iis calumniis Chriſtian Ketelhuhts und ſeiner Collegen Antwort auf einige Beſchuldigungen, quod ſcriptum Orationi ſuæ ſeculari, de providentia divina circa Sundenſem reformationem addidit D. Gregor. Langmack. Sup. & gymn. Prof. Sund. celebratiſſimus.

(*gg*) Hæc propenſio ortum trahebat ex commoratione ejus Wittebergenſi, quo a Patre ſtudiorum cauſa anno poſt inceptam reformationem mittebatur, & faſces quoque Academiæ gerebat, adeoque exoptatiſſimam nanciſcebatur occaſionem

Duces equidem Pomeraniæ, quos modo dixi, Comitia illa Augustana, in quibus Symbolum illud fidei nostræ Carolo V. tradebatur, sua præsentia reddebant illustriora, non tamen publicam fidei Confessionem edituri, sed terras suas jure fiduciario a Carolo V. petituri. (*bb*)

Lætiorem vero ac florentiorem Pomerania assumebat faciem, cum fatis suis anno MDXXXI. Georgio defuncto, factaque Pomeraniæ divisione, Philippus primus eiusdem filius Pomeraniam citeriorem regendam suscepisset. Philippus igitur ad doctrinam sinceriorem ope Justi Dewitzii adductus ac lectis huius quidem suasu Lutheri, Melanchthonis, Bugenhagii scriptis, imprimis autem sacris Bibliis & Augustana Confessione, collustratus, (*ii*) una cum Patruo

salutaria religionis evangelicæ capita plenius cognoscendi; Majora vero incrementa capiebat ex cognitione imbecillitatis partis Pontificiæ in negotio religionis, cujus ipse oculatus testis erat locupletissimus in colloquio Lipsiaco, Lutherum inter & Eccium eorumque Consortes 1519. celebrato. Conf. Anon. (qui est Dn. Georg Adolph Carocius, Syndicus quondam Pomeraniæ citerioris Provincialis, & in historia Patriæ versatissimus) in der Nachricht, wie es in Pommern zur Zeit der Reformation, mit der allgemeinen und publiquen Abschaffung des päbstlichen Kirchen-Wesens eigentlich bewand gewesen §. 3 p. 7.

(*bb*) Quanta solennitate & pompa hæc investitura peracta sit die vigesimo sexto Julii docet Micræl. in alt. Pomm. L. 3. P. 2. § 4. p. m. 344. seqq. An vero omen exinde paulo post futuræ acceptationis Augustanæ Confessionis captandum, quod tres Principes Augustanæ Confessioni addicti pallium Cæsaris in hac investitura tenuerint, cum celeberrimo gymnasii Sundensis Rectore, amico a multis annis nobis conjunctissimo M Christoph. Pylio, in programmate zur feyerlichen Begehung des andern hundertjährigen Jubelfests der Augsp. Conf. p. 4. in medio relinquimus.

(*ii*) Hæc collustratio postea magis confirmata, cum filiam Electoris Saxoniæ Johannis Mariam in uxorem eligerer, eique Torgaviæ 1536. ipse Lutherus benedictionem Sacerdotalem impertiretur, quo de Micræl. alt. Pomm. L. 3. P. 2. p. m. 350 tantasque in eo radices egit, ut Valentinus ab Eickstedt in descriptione vitæ ejus p. 133. non tantum testetur, se audivisse eum interdum cum Consiliariis conferentem de præcipuis doctrinæ articulis, de justificatione, nova obedientia, sacramentis, de autoritate ecclesiæ, Pontificis, Patrum, conciliorum, de ritibus & Politia ecclesiæ, de metis utriusque potestatis ecclesiasticæ & politicæ. Sed etiam Johannes Engelbrecht, Protonotarius Ducalis, in Genealogia Ducum Pomeraniæ MSS., in vita Philippi p. m. 498. in laudem ejus commemoret,

Patruo Barnimo publicam ſacrorum emendationem, atque omniodam Papatus abrogationem, cum conſenſu ordinum, tutiore jam tempore anno 1534. inſtituit, conventu provincialium generali Treptoviæ ad regam celebrato, ac certa adminiſtrandarum eccleſiarum formula a Johanne Bugenhagio anno 1535. concinnata. (*kk*)

Ab hoc igitur tempore Pomerania cœtui evangelicorum puriori aſſerta ac vindicata, Auguſtanæ Confeſſionis formulam, ſartam ac tectam ſtudio retinuit piiſſimo ſanctiſſimo, poſtquam eadem una cum Apologia in agendis illis Pomeraniæ eccleſiaſticis primis, quæ typis Wittebergenſibus anno MDXXXV. ſunt exſcripta, (*ll*) tanquam norma omnibus verbi divini Miniſtris fuerat præfixa &

 conſti-

memoret, quod morti proximus filiis ſuis quaſi teſtamento ſerio commendaverit, ut conſtanter Auguſtanæ confeſſioni adhærerent, nec ullam aliam Sectam in ditionibus ſuis tolerarent.

(*kk*) In hac Synodo Treptovienſi acceptatio Auguſtanæ Confeſſionis, quæ huc usque in Pomerania per conniventiam Principum tantum tolerata, publice agnita & ſtabilita. Rationes vero prægnantes, quæ huc usque acceptationem illam in Pomerania retardarint, ſequentes affert anonymus ſupra citatus, in der Nachricht wie es in Pommern zur Zeit der Reformation mit der publiquen Abſchaffung des päbſtiſchen Kirchen-Weſens bewand geweſen §. 4. p. 8 ſeqq. 1) die verſchiedene geiſtliche Jurisdiction in Pommern. 2) Die gemeinſchafftliche Landes-Regierung. 3) Weil Hertzog Philipp nicht ſo gleich die Augſpurgiſche Confeſſion angenommen, ſondern durch Betrieb Hertzog Barnims und Jobſt von Dewitzens dazu allgemählich gebracht war. 4) Die Nachbarſchafft Churfürſts Joachimi von Brandenburg, welcher der Päbſtlichen und Kayſerlichen Parthey aufs hefftigſte zugethan. Idem quoque §. 6. p. 10 ſeqq. oſtendit, quam maſcule in hac acceptatione contra oppoſitiones Cameræ imperialis Spirenſis, & ſtatuum provincialium ex nobilitate Pomeraniæ perſtiterint.

(*ll*) Prodierunt illa lingua tunc temporis Pomeranis vernacula Wittebergæ in forma octava ſub hoc titulo: Kercken Ordnunge des gantzen Pamerlandes, dorch die hochgebahren Fórſten und Herrn, Herrn Barnim und Philips beede Geveddern up dem Landdage tho Treptow, tho Eeren dem hilligen Evangelio belaten, dorch D. Johann Bugenhagen, gedruckt tho Wittenberg dorch Frantz Schlöſſer MDXXXV. Autori vero ejus Johanni Bugenhagio tantum debet in promovendo evangelio Pomerania, ut memoria ejus merito apud omnes Pomeranos ſinceriorem Dei cultum amantes ſit in benedictione, id quod peculiari Oratione Johannes Fridericus Mayerus, illuſtre quondam Academiæ Gryphicæ ſidus, graviter ediſſeruit, ſub rubrica: Quantum eccleſia univerſa Pomeraniæ ob Johannem Bugenhagium debeat.

conſtituta. Inſecutis temporibus Pomerani hujus ſuæ integritatis inſignia prorſus ediderunt documenta. Ita namque in conventu Schmalcaldienſi, anno MDXXXVII. celebrato Paulus Rhodius, Concionator Sedinenſis (*mm*) ſuo & eccleſiæ Pomeranicæ nomine Auguſtanæ Confeſſioni & Apologiæ ejus ſubſcripſit, poſtquam autoritate & mandato Principium & Ordinum ac civitatum evangelii doctrinam profeſſorum, articuli confeſſionis Imperatori Carolo quinto in conventu Auguſtano exhibiti, Schmalcaldiæ fuerant relecti, & omnes concionatores, qui huic conventui interfuerant, conſentientes declaraverant, ſe juxta articulos confeſſionis & Apologiæ ſentire & docere in ſuis eccleſiis. Cum poſthæc Julius III. Pontifex Romanus anno MDLI. reductionis diplomate admodum ſuperbo Concilium Tridenti eſſet inſtauraturus, Proteſtantes ab Imperatore Carolo quinto jubebantur certam quandam fidei Profeſſionem & formulam concilio exhibere. Qualem quidem Elector Saxoniæ Mauritius a Melanchthone, Dux vero Würtembergicus a Johanne Brentio adornandam curabant. Melanchthonis autem qui hunc in finem confectus erat libellus, poſt modum ſub nomine repetitæ Auguſtanæ Confeſſionis, nec non confeſſionis doctrinæ Saxonicarum eccleſiarum innotuit. (*nn*)

Neque huic cœtus evangelici negotio ſat arduo deeſſe volebat Dux Pomeraniæ Philippus I. quare Theologis Univerſitatis Gryphiswaldenſis ac cœteris Paſtoribus conficiendam ejusmodi doctrinæ confeſſionem demandabat. Sub anni igitur milleſimi quingenteſimi quinquageſimi ſecundi auſpiciis Synodus Gryphiswaldiæ celebra-

(*mm*) Vitam ejus, tanquam primi Pomeranorum Evangeliſtæ, qui hanc regionem prædicatione veritatis evangelicæ colluſtravit, recenſet D. Dan. Cramerus im groſſen Pomm. Kirchen-Chronico L. 3. C. 60 f. 1618. ſeqq. Quanta vero a Sedinenſibus perpeſſus, ut etiam eos derelinquere, & vocationi Luneburgenſi locum concedere voluerit docet ibidem C. 36. fol. 100. ſeqq.

(*nn*) Exſtat ea in Operibus Philippi Melanchthonis Theologicis junctim editis T. I. pag. 121. ſeqq. & præſcripta habet verba ex Pſ. CXIX, v. 46. Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar.

brabatur, ut ſeriæ hocce de negotio deliberationes ſuſciperentur. (oo)

Erat autem Doctoribus hacce in ſynodo congregatis ſimul a Duce Philippo facta copia ſcripti illius, quod modo excitavimus, Melanchthoniani, tanto quidem ab ipſis plauſu excepti, ut nulli dubitarent, hanc confeſſionem ſuo ita quidem comprobare calculo, ut & nomine eccleſiæ Pomeranicæ concilio eſſet exhibenda Tridentino. Concipiebatur igitur eodem anno mittenda ad Philippum Melanchthonem epiſtola, (pp) nomine Rectoris Academiæ Gryphiswaldenſis, Superattendentis, Doctorum, Paſtorum, & Miniſtrorum Eccleſiarum citerioris Pomeraniæ munita ac firmata, in qua quidem ſui conſenſus fidem his verbis, e latina in germanicam linguam translatis, teſtatam fecerunt: **Darümb bezeugen wir hiemit öffentlich, und bekennen für GOtt und allen Heiligen in Himmel und auf Erden, daß die Lehre, welche in Ewer Confeſſion fürgegeben wird, die Wahrheit und immerwährende Meinung ſei, der Chriſtlichen Kirchen des Sohnes GOttes unſers HErren JEſu Chriſti, und daß wir dieſelbe mit gantzen Hertzen glauben, und daß dieſelbe in unſern Kirchen, Academia, und Schulen gelehret werde, welche wir auch mit GOttes Hülffe in alle Ewigkeit beſtändig bekennen, und vertreten wollen**, & ſic porro. Cura harum litterarum Wittebergam perferendarum Jacobo Rungio (qq) ſacroſanctæ Theologiæ Doctori in

(oo) De hac Synodo conferatur D. Dan. Cram. **Groß Pomr. Kirch. Chron.** L. 3. C. 42. p. 120. & feliciſſimus hiſtoriæ eccleſiaſticæ Pomeranorum reſtaurator D. Jac. Hinr. Balthaſar **in der erſten Samml einiger zur Pomr. Kirchen Hiſt. gehör. Schrifften** p 64.

(pp) Exſtat hæc epiſtola latino ſermone in operibus Phil. Melanchthonis Theologicis T. 1 f. 147. Et in Corpore doctrinæ Pomeranico f. 130. ſeqq. Germanico vero idiomate apud D. Cram. **Groß Pomr. Kirch. Chron.** l. c.

(qq) Vitam ejus eleganter deſcripſit laudatus antea D. Balthaſar **in der 2ten Samml. einiger zur Pomr. Kirch. Hiſtor. gehör. Schrifft.** p. 381. ſeqq. ex qua deſcriptione ad oculum patet, quantum huic Viro Pomerania debeat, & quantos labores ob conſervationem purioris doctrinæ, & diſciplinam eccleſiaſticam in ordinem redigendam, exantlaverit.

in hac Academia, ac poſtmodum dignitate Præſulis Pomeranici ornato, tanquam publico conſenſus Pomeranorum interpreti committebatur, qui ſimul a Duce Philippo deſtinatus erat itineri Tridentum verſus ſuſcipiendo.

Abiit igitur Wittebergam ad veterem ſuum Præceptorem & Hoſpitem Philippum Melanchthonem, ut cum ipſo aliisque Theologis itineris ad Concilium Tridentinum flectendi faceret ſocietatem, quo etiam Comite Noribergam perrexit.

Bellum interea, quod inter Carolum quintum & Mauritium cœperat flagrare, & Concilium illud disjiciebat, & Viris hiſce neceſſitatem imponebat Norimbergæ gradum ſiſtendi, ac domum denique repetendi. (*rr*)

Dehinc annum milleſimum quingenteſimum ſexageſimum primum illuſtravit conventus ille plane memorandus, quem Principes Auguſtanæ Confeſſioni addicti, Fridericus Comes Palatinus Rheni, Auguſtus Saxoniæ Elector, Johannes Fridericus Dux Saxoniæ, Wolffgangus Comes Palatinus Rheni, Erneſtus & Philippus Brunſwicenſes Duces, Vlricus Dux Mechlenburgicus, Chriſtophorus Dux Würtenbergenſis, Carolus Marchio Badenſis, Erneſtus Princeps Hennebergicus, Güntherus Schwartzburgenſis, ac Legati Principum Joachimi ſecundi Electoris, & Johannis ac Georgii Friderici, Marchionum Brandenburgenſium, Johannis Alberti Ducis Megapolitani, Barnimi Ducis Stetinenſis (qui ſenio confectus conventui huic intereſſe non poterat) Ducumque Wolgaſtenſium juniorum, Johannis Friderici, Bogislai, Erneſti Ludovici, Barnimi & Caſimiri, qui Patre Philippo eodem defuncto anno, commune tunc adminiſtrabant imperium, ac porro Philippi Landgravii Haſſorum (qui paulo poſt ipſe advenit) Adolphi Ducis Holſatiæ, Wolffgangi & cœterorum Principum Anhaltinorum, Naumburgi ad Salam (*ss*) partim ex compromiſſo, partim etiam invitati inſtituerunt. Ageba-

(*rr*) Recenſet hæc Cram. l. c. f. 121. & minus accurate dicta corrigit D. Balthaſar l. c. p. 392. 393.

(*ss*) De hoc Conventu Naumburgenſi, & quales Pomeranorum in eo partes fuerint,

Agebatur in eo primum de Auguſtana Confeſſione, ab omnibus Principibus puriorem evangelii doctrinam complexis, communi ſubſcriptione denuo renovanda & confirmanda. Deinde de Concilio, quod Pontifex Tridenti continuandum indixerat, num a Principibus Auguſtanæ Confeſſioni addictis adiri, an recuſari deberet, conſultabatur. Potiſſimum vero de Auguſtana Confeſſione fuit deliberatum, dum Pontificii objiciebant Evangelicis, quod Confeſſionem veram, prout Auguſtæ Vindelicorum Carolo V. fuiſſet exhibita, non ſequerentur, ſed toties mutatæ inſiſterent, potiori proinde jure confuſioni quam confeſſioni dicendæ.

Ea quidem, in quibus Auguſtanæ Confeſſionis editiones a ſeſe invicem erant diſtinctæ, (*tt*) non adeo magnum ſecum vehebant momentum, donec Philippus Melanchthon, nimio & intempeſtivo pacis & concordiæ ſtudio permotus, anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo, propria auctoritate in articulo decimo de

 ſacra

rint, conferendi Micræl. Alt. Pomm. C. 3. P. 2. p. m. 360. Cram. Groß Pomr. Kirch. Chron. L. 3. C. 55. p. 154 ſeqq. qui præcedenti C. 54 p. 152. exemplum quoque adducit, quanti Pomerani æſtimarint Auguſtanam Confeſſionem, dum in confirmatione & renovatione ſtatutorum & privilegiorum Epiſcopatus Camminenſis expreſſe ſtipulatum: Daß ſich die Prälaten des Thum-Capitels bekennen zum unverfälſchten reinen Worte GOttes im Geſetz und Evangelio, wie dieſelbe im Niceniſchen und Athanaſianiſchen Symbolis, und in der Augſpurgiſchen Confeßion 1530. Carolo V. übergeben iſt. Und ſetzen mit Bewilligung der Herren Patronen, daß keiner in diß ihr Collegium, noch ins Miniſterium derſelben angenommen werden ſolte, der eine andere Lehre belieben und profitiren ſolte ꝛc

(*tt*) Hanc mutationem Auguſtanæ Confeſſionis, a Philippo Melanchthone privata autoritate, & absque conſenſu Lutheri ſuſceptam quantopere exagitarint Pontificii, & quot motus eam in eccleſia Lutherana ſecuti ſint, notum eſt & pervulgatum, conferri vero merentur D. Joh. Georg. Dorſchæi Diſſ. Secul. de conſequentibus Auguſt. Conf. inſignioribus C. 3. D. Gottl. Wernſtorff Diſſ. de Aug. Conf. Hiſt §. 14. ſeqq. D. Val. Ern. Löſchers Ausf. Hiſt. mot. P. 2. C. 4 §. 42. ſeqq. & ex Reformatis D Joh. Hoornbeckius in Summ. Controv. L. 9. p. 603. ſeqq. D. Sam. Strimeſ. in ingenua in Controv. Evang. inquiſ. Proëm §. 5. p. 12. ſeqq. Quæ vero Pomeranorum ejusdem temporis Theologorum de hac mutatione fuerit ſententia, conſpici poteſt in D. Balthaſaris 1ſten Samml. einiger zur Pomr. Kirch. Hiſt. gehörigen Schrifften p. 334. ſeqq. p. 377. ſeqq. und in der 2ten Samml. p. 46. ſeqq. p. 119. ſeqq.

ſacra cœna, & quidem in latina editione, inſignem & maxime memorabilem ſuſciperet mutationem, dum deletis verbis ADSINT ET DISTRIBUANTUR, eorum in locum ſurrogaverat EXHIBEANTUR, omiſſa quoque clauſula ET IMPROBANT SECUS DOCENTES. Erant & quædam in articulo quarto, quinto & decimo octavo immutata, ſed iſta, quæ in articulo decimo contingerat mutatio, cunctorum merito mentes & oculos, imo & iuſtam indignationem in ſe convertebat.

Poſt longam igitur de diverſis & inter ſe diſſimilibus Auguſtanæ Confeſſionis editionibus, in Conventu iſto Naumburgenſi collocutionem, & exemplarium, quæ in ipſo Conventu Auguſtano manu Georgii Spalatini & Johannis Brentii exarata, plane inter ſeſe & cum prima editione Wittebergenſi, quæ anno MDXXXI. in lucem exierat publicam, paucis exceptis verbis congruentia habebant, & aliorum diverſis annis expreſſorum collationem, tandem decernebatur, præferendam reliquis eſſe eam editionem, quæ Wittebergæ MDXXXI. in forma quarta impreſſa per Georgium Rhau prodiiſſet. Cui etiam omnes, & inter hos Pomeranorum Legati calculum adjecerunt: Erant autem a Duce Barnimo Comiti Ludovico ab Eberſtein & Matthiæ Borckio, quibus D. Chriſtophorus Stymmelius Paſtor & Profeſſor Stettinenſis erat adjunctus; a Ducibus autem Wolgaſtanis Caſpari Krackevitzio & Chriſtiano Küſſovio hæ officii partes demandatæ.

Hactenus igitur eccleſia Pomeranica a ſincera iſta & invariata Auguſtanæ Confeſſionis formula ne latum quidem unguem receſſerat. Quomodo vero Pomeranorum Theologi, eo præſertim tempore, quo corpus doctrinæ Pomeranicum fuit concinnatum, & receptio formulæ Concordiæ ab iis efflagitabatur, ſeſe geſſerint, in ſequenti quidem tractatione commodius exponitur.

Interim vero Duces Pomeraniæ quondam Sereniſſimi ab eo tempore, quo Pontificia ſuperſtitio in hiſce terris fuit abolita, ſæpe repetitis pactis & in omnibus fere receſſibus provincialibus, pro ſe & ſuis

ſuis Succeſſoribus promiſerunt ſanctiſſime, ſe eam, quam Auguſtanæ Confeſſioni conformem, communi conſenſu ſemel admiſiſſent religionem, perpetuo divina adſpirante gratia retenturos, nec quidquam huic vel in ceremonialibus vel doctrinalibus adverſum, vel ab eo diverſum, per directum vel obliquum introducturos, vel ab aliis fieri permiſſuros. (*uu*)

De tuenda ac ſervanda inpoſterum in Pomerania Auguſtanæ confeſſionis doctrina & integritate, clementia auguſtiſſimorum ac potentiſſimorum Sueciæ Monarcharum nos juſſit eſſe certiſſimos & plane ſecuros. (*ww*) Ita enim in gratiſſime indulta anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo tertio a Carolo undecimo recordationis glorioſiſſimæ confirmatione privilegiorum Pomeraniæ ſequentia leguntur ſancita: **Und als im** inſtrumento pacis **mit verſehen und verabredet, den Ständen und Einwohnern ſothaner Pomriſchen Lande, das freye unbehinderte** Exercitium **der Evangeliſchen Religion, nach der unveränderten Augſpurgiſchen** Confeſſion **wie dieſelbe dem Römiſchen Käyſer** Carolo V. anno MDXXX. **den 25ſten** Junii **auf dem Reichstag zu Augſpurg übergeben, zu** confirmiren: **So wollen wir, unſere** Succeſſores, **und die Kron** Sueden, **alle und jede Stände und Unterthanen**

(*uu*) Quo de afflictiſſimo Pomeraniæ tempore egregium ediderunt ſpecimen, dum inter planctus & ejulatus ob oppreſſiones plane exorbitantes Cæſareanorum militum (de quibus ſtupenda legas in Triennalibus Pomeraniæ afflictionibus publica autoritate Sedini MDCXXX. latine & Germanice publicatis) jubila ſua, ob exhibitam ante ſeculum Auguſtanam Confeſſionem, non plane omiſerunt, ſed in Academia Gryphiswaldenſi ſolenni Oratione, de Antagoniſtis & mirabili Victoria Auguſtanæ Confeſſionis; In aliis vero Civitatibus concionibus ſecularibus, & divinis laudibus ſeſe eccleſiæ Lutheranæ, aliis in locis plaudenti, adjunxerunt, quo de videatur M. Chriſtoph. Pyl. in dem Progr. **zur feyerlichen Begehung des andern hundertjährigen Jubelfeſtes der Augſpurg. Confeßion.**

(*ww*) Quod ii eo minus mirabuntur, quibus Regum & totius nationis Suecicæ zelus plane ſingularis pro puritate & conſervatione religionis Lutheranæ non eſt incognitus, quem ſingulari ratione prædicavit D. Conrad. Tiburt. Rango, Superintendens quondam Pomeraniæ citerioris meritiſſimus in Suecia Orthodoxa Sedini MDCLXXXIIX. in forma quarta publicata,

vorberührter unserer Pomrischen Landen, bey freyer, unbehinderlichen, öffentlichen Übung obbemeldeter Relig on in Kirchen und Schulen, wie auch bey Bestellung der Ministerien, wie nun jeder bishero dazu befüget ist, für und für biß zu ewigen Zeiten lassen, erhalten, schützen und nicht verstahten, daß eine andere Lehre, Gottesdienst und geistliche Disciplin, als in der unveränderten Augspurgschen Confession, dem Pommerschen Corpore doctrinæ, der Kirchen-Ordnung und Agenda, so hiemit zugleich bestähtiget seyn sollen, verfasset, und bißhero in diesen Landen üblich, einiger Maaßen aufkomme, zugelassen oder geduldet werde, sondern vielmehr allen einreißenden Neuerungen, Secten und Irrthümern mit gemeinen Rath unserer Land-Stände in Eiffer steuren und wehren. Quæ quidem Fridericus Rex noster clementissimus, anno huius seculi vigesimo corroboravit denuo; ac firma & rata habuit gratiosissime. (*xx*)

Sed missa Confessione Augustana accedo ad *Articulos Schmaltaldicos*, ostensurus fata, iidem quæ in Pomerania sustinuerunt. Postquam scilicet in Comitiis Augustanis anno MDXXX. celebratis, irrito successu tentata fuerant media, motus circa religionem exortos compescendi, diversa hominum studia & consilia deprehendebantur; aliis ex Romanensibus vim apertam minitantibus, aliis concilium universale urgentibus, quippe quæ unica esset lites hasce componendi ratio: Atque hoc jam a Carolo V. Imperatore in Comitiis illis Augustanis, quæ modo commemoravimus, proponebatur,

(*xx*) Pium hunc Regum suorum zelum Theologi Academiæ Gryphiswaldensis lectionibus & disputationibus in Augustanam confessionem semper fovere & conservare studuerunt, ex quibus hic nominare sufficiat D. Jac. Henningii intimationem disputationum in Augustanam Confessionem anno MDCXC publicatam, & D. Joh. Frid. Mayeri libellum memorialem, Augustanam Confessionem fideliter reddentem, Anno MDCCX. in usum Candidatorum Pomeraniæ publici juris factum. Quanta vero solennitate jubilæum Augustanæ Confessionis secundum (in aliis quoque Pomeraniæ Civitatibus summis plausibus peractum) celebrarint Rector & Concilium Academicum ipsi dilucide ostenderunt in der kurtzen doch volständigen Nachricht von dem andern hundertjährigen Jubilæo.

batur, denuoque anno MDXXXVI. ſpem ejus Paulus tertius Pontifex faciebat.

Qua igitur re ſocii fœderis Schmalcaldici commoti anno MDXXXVII. Schmalcaldiæ conveniebant, deliberaturi, ſi locus ſibi in Concilio daretur, in quibus cedi poſſet Pontificiis, & quibus capitibus firmiter & conſtanter eſſet inhærendum.

Ut itaque Proteſtantes promptam atque paratam haberent ſummam præcipuarum Controverſiarum, quam in concilio afferrent, hocce Martino Luthero, præſens qui aderat, ab Ordinibus Evangelicis negotium dabatur, ut articulos illos componeret, quibus ab oppido Comitatus Hennebergici Schmalcaldia nomen fuit inditum. (*yy*) Et circa hoſce articulos pietas Pomeranorum eminuit quam maxime: Dux enim Philippus I. qui eam circa ætatem Pomeraniam regebat citeriorem, atque anno MDXXXVI. in conventu Francofurtano, una cum Patruo Barnimo, in fidem & amicitiam fœderatorum ordinum evangelicorum erat receptus, (*zz*) non modo Schmalcaldicum hunc adibat conventum, ut planum atque compertum redderet omnibus, ſeſe eſſe Civem veræ eccleſiæ, ſeque cum ſuis doctrinam Auguſtanæ confeſſionis profiteri; ſed etiam conſcribendis hiſce Articulis, inter cœteros Principes Proteſtantes auctor atque aſſertor fuit non poſtremus, unde & glorioſum Pii nomen a poſteris reportavit. (*aaa*)

(*yy*) Conf. de his articulis Gottfr. Arnolds K. und K. Hiſt. P. 2. L. 16. C. 18. §. 15. ubi monet, hos articulos ab aliis, anno MDXL. Schmalcaldiæ quoque confectis, probe diſtinguendos. Et D. Ad. Rechenb. Append. tripart. Iſagog. ad libr. eccl. Luth. Symb. C. 4. p. 18. ſeqq.

(*zz*) Hanc receptionem magno ſtudio quæſiverant, ſolenni Legatione anno MDXXXV. medio Auguſti ad Electorem Saxoniæ miſſa; obtinuerant eandem anno MDXXXVI. hac conditione, ut ambo unum tantum votum haberent. Eidem tamen poſtea, cum viderent eam ultra religionem ad negotia quoque ſecularia extendi, ſolenni proteſtatione iterum, excepta tantum religione, renunciarunt, quo de præter Micrælium & Cramerum, Valentinus ab Eickſtett in Vita Philippi I. p. 137. ſeqq. Anon. Nachr. wie es in Pommern mit der publiquen Abſchaffung des päbſtl. Kirchen Weſens bewand geweſen §. 7. ſeqq. p. 11. ſeqq.

(*aaa*) Quod hoc nomine digniſſimus fuerit, tempore belli Schmalcaldici re ipſa compro-

Confectos autem hac ratione articulos Schmalcaldicos, nomine Pomeranorum Paulus Rhodius ſua ſubſcriptione validos ac firmos habebat. Ab hocce igitur tempore autoritas articulorum Schmalcaldicorum in Pomerania fuit ſancta, fuit intemerata atque inviolabilis. (*bbb*)

Poſthæc inter libros eccleſiæ Symbolicos locum tuetur Catechiſmus uterque Lutheri maior & minor. (*ccc*)

Quamvis vero Catechiſmi eum in finem non ſoleant concinnari, ut ſymbolorum vices ſuſtineant, non tamen eſt infrequens, ut Symbolorum loco habeantur, prout exemplum Catechiſmi Tridentini, Heidelbergenſis, & Rackovienſis ſatis declarat atque commonſtrat.

Quod vero Catechimus Lutheri uterque inter libros eccleſiæ Evangelicæ Symbolicos rectiſſime referatur, vel inde efficitur manifeſtum, quod Ordines Proteſtantes in Epitome formulæ Concordiæ p. 571. & in ejusdem declaratione pag. 634. utrumque pro libro Symbolico agnoſcant diſerte.

Sane fuit ſemper horum Catechiſmorum in Eccleſia Pomeranica autoritas longe ampliſſima, ac veneratio ſumma, id quod perpetua illa ſacrorum Lutheranorum in Pomeraniam introductorum obſervantia, dum teneræ mentes puerorum & puellarum Catechiſmi minoris placitis recte imbuuntur & enutriuntur, ſingulisque die-

comprobavit, quamvis enim Cæſaris animus ab eo quorundam criminationibus eſſet alienatus, tamen potentiam vel Imperatoris, vel aliorum hoſtium non tantopere veritus eſt, ut quicquam in religione mutaret. Quinimo re vera ſæpius dixit: Se malle depoſita gubernatione privatam & calamitoſam agere vitam vel omnino occumbere, quam contra agnitam veritatem quicquam admittere, teſte Val. ab Eickſtett in vita Philippi I. p. 137.

(*bbb*) Id quod anno MDCCX. re ipſa demonſtravit D. Joh. Frid. Mayerus, dum in uſum Candidatorum Pomeraniæ edidit articulos Schmalcaldicos ad ductum B. Johannis Sauberti.

(*ccc*) De his Catechiſmis eorumque hiſtoria conf. M. Matthefii Hiſtorie von M. Luthers Anfang, Lehr, Leben und Sterben Conc. 6. p. m. 61. ſeqq. Ad. Rechenb. Append. tripart. C. 5. p. 22. ſeqq. Gottfr. Arnolds unparth. K. und K. Hiſt. P. 2. L. 16. C. 11. p. 1. ſeqq. p. 115.

diebus dominicis idem in omnibus ecclesiis sedulo inculcatur, (*ddd*) non solum comprobat, verum etiam Agenda Pomeraniæ ecclesiastica Treptovienſia, illaque quæ magis sunt aucta atque locupletata, porro acta Pomeraniæ Synodalia, ac corpus doctrinæ Pomeranicum convincunt satis atque confirmant.

Ordo dehinc nos ducit ad fata illa, quæ formula Concordiæ in Pomerania senſit, brevis saltem exponenda, cum alii harum rerum peritiſſimi otia mihi jam fecerint, (*eee*) ut proinde prolixiori commemoratione, quam grave hocce negotium alias postulare videtur, supersedere queam.

Scilicet condendæ formulæ Concordiæ (*fff*) luctuosa ista certamina, quæ vehementioribus animorum commotionibus, inter Theologos Lutheranæ Ecclesiæ addictos post Lutheri fata agitabantur, & a Synergistis, (quos inter agmem ducebat Victorinus Strigelius) Matthia Flacio, Andrea Osiandro, Francisco Stancaro, Georgio Majore, erant susciteta, occasionem suppeditabant: Hisce acce-

(*ddd*) Porro non solum in præcipuis civitatibus singulis annis aliquot vicibus solennis repetitio Catechismi in publicis concionibus per aliquot hebdomades instituitur (id quod Tanglymi per singulos anni quadrantes fit). Sed etiam Theologi Pomerani singulari studio juventuti intellectum Catechismi clariorem reddere elaborarunt, id quod exempla Rungii, Sleckeri, Rangonis, Gebhardi, & qui tempore Jubilæi secundi Augustanæ Confessionis Pomeraniæ citeriori summa cum laude præerat, Krackevitzii comprobant.

(*eee*) Inter hos omnibus palmam præripuit D. Jac. Henr. Balthasar, dum ipsa acta & scripta Pomeranorum in negorio formulæ concordiæ in lucem publicam produxit, & typis evulgari curavit in der 2ten Samml. einiger zur Pomr Kirchen Hist. gehörigen Schrifften P. 1. p. 1. seqq adeoque nobis inposterum sæpius non sine laude nominandus.

(*fff*) De historia & fatis Formulæ Concordiæ in genere evolvi possunt, D. Leonhardus Hutterus in Concordia Concorde. Et in explicatione Libri Concordiæ Proleg. p. 1. seqq. Rechenb. Append. Tripart. ad Libr. Symb. C. 6. p. 27. seqq. Gottfr. Arnold unparth. K. und K. Hist. P 2. L 16. C. 18. p. 213. seqq. qui præcipue hac in historia titulo operis non satisfecit, sed odiosa multa in odium & contemptum Theologorum Lutheranorum consarcinavit. Fischlinus in Memor. Theol. Würtemb. P. 3. p. 150 seqq Et ex Reformatis Rud. Hospinianus in Concordia discorde & Joh. Hoornbeckius in Summa Controv. L. 9. p. m. 658 seqq.

accedebant motus Interimiſtici & Adiaphoriſtici, imprimis vero Crypto-Calvinianorum machinationes in Saxonia, qui clandeſtinis ſuis artibus illud agebant, ut ſemina doctrinæ Calvinianæ ſpargerentur.

Hiſce igitur eccleſiæ Evangelicæ vulneribus ut medela adhiberetur, eademque e fluctibus ad tranquillitatem, concordiam, ac priorem ſanctitatem reduceretur, omnem curam, operam atque induſtriam impendebat Saxoniæ Elector Auguſtus. Idem igitur anno MDLXXIV. Theologos quosdam, puta Martinum Chemnitium, Davidem Chytræum, Nicolaum Selneccerum atque Jacobum Andreæ congregabat Torgaviæ, qui certos articulos affirmativos & negativos adornabant, omnibus proponendos, ut mentem ſuam ſincere declararent iisque ſubſcriberent.

Cum itaque Saxoniæ Elector Auguſtus librum huncce Torgenſem, qui anno MDLXXVI. Torgaviæ erat recognitus, ad Duces etiam Pomeraniæ miſſiſſet, Dux quidem Wolgaſtanus Erneſtus Ludovicus anno MDLXXVII. die Converſionis Pauli, qui in menſem Februarium incidit, Synodum Wolgaſti cogebat (*ggg*) propter perlegendum & explorandum librum Torgenſem, de tollendis diſſenſionibus in doctrina cœleſti deque reſtituendo pio conſenſu.

Poſtquam ergo Theologi & Paſtores viginti ſeptem ibidem congregati, ſub examen revocaverant libri Torgenſis capita, hanc quidem de eodem ferebant ſententiam, (*hhh*) quod is male Auguſtanam Confeſſionem eiusque Apologiam, prout in corpore doctrinæ Pomeranico contineretur, in heterodoxias ſuſpicionem traheret; Scripta porro Melanchthonis in eo contenta ſeponeret, eaque in quatuor articulis, de ſacra Cœna, de libero hominis arbitrio, de

(*ggg*) Acta hujus Synodi recenſet Cram. Groß Pomr. Kirch. Chron. L. 4. C. 2. p. 7. D. Balthaſar in der 1ſten Samml. p. 314. ſeqq.

(*hhh*) Ipſum ſcriptum exſtat in D. Balthaſaris 2ten Samml. P. 1. p. 9. ſeqq. ſub hac rubrica: Erklährung der Pommeriſchen Kirchen auf das Torgowiſche Bedencken, von Vergleichung der ſtreitigen Artickel Chriſtlicher Lehre, zwiſchen den Theologen der Augſpurgiſchen Confeßion, übergeben zu alten Stettin im Synodo auf Reminiſcere den 7. Martii 1577.

de lege & Evangelio, itemque de juſtificatione hominis peccatoris coram Deo, errorum exitialium & periculoſorum inſimularet. Rogabant inſimul iidem Theologi ac Paſtores Ducem Erneſtum Ludovicum, ut Fratrem Johannem Fridericum Ducem Stettinenſem ſuis conſiliis ad convocandos præcipuos Theologos & Paſtores ſuæ ditionis impelleret. Ille igitur menſe Martio ejusdem anni Synodum Stetini habebat, (*iii*) cui a Ducibus Johanne Friderico & Erneſto Ludovico hæc quidem proponebatur quæſtio, ſine proſopolepſia, affectibus, & periculi metu excutienda: An liber Torgenſis conveniret cum verbo Dei, Symbolis veteris eccleſiæ, Auguſtana Confeſſione, ejus Apologia, corpore doctrinæ Pomeranico & ordinatione eccleſiaſtica? Ad quæſtionem hancce ita quidem ſuam declarabant ſententiam Doctores iſti, ut acta in Synodo Wolgaſtana probarent, monitaque exhibita aſſenſu exciperent pariter ac corroborarent.

Agitabat dehinc Elector Saxoniæ Auguſtus, quem modo commemoravimus, ſeria conſilia de concordiæ ineundæ rationibus. Quare ultimam manum graviſſimo huic negotio impoſiturus, ſex Theologos, Jacobum ſcilicet Andreæ, Andream Muſculum, Chriſtophorum Cornerum, Nicolaum Selneccerum, Martinum Chemnitium & Davidem Chytræum, in cœnobium Bergenſe prope Magdeburgum anno MDLXXVII. convocabat. Qui quidem cenſuras a variorum Ordinum Evangelicorum Theologis transmiſſas, ſeria animi æſtimatione penſitabant, & ut omnium deſideriis, quantum poſſet fieri, deferretur, operam impendebant. Ex libro igitur Torgenſi diligenter recognito, & ad cenſuras undique inſtitutas emendato, formula demum Concordiæ conficiebatur: Cui & plurimi Imperii Ordines, Electores, Principes, Comites, Civitates Imperii liberæ, & verbi divini Miniſtri; Scholarumque Moderatores usque ad octo millia ſuum nomen dederunt.

(*iii*) Quænam in hac Synodo de libro Torgenſi acta, exponunt D. Cram. l. c. Micræl. Alt Pomm. L. 3. P. 2. p. m. 389. & omnium optime D. Balthaſar in der 1ſten Samml. p. 325. ſeqq.

Remotis ſic omnibus impedimentis, quæ hocce obſederant negotium, anno tandem MDLXXX. formula Concordiæ hac ratione publicabatur, ut uno eodemque volumine, reliqui eccleſiæ Evangelicæ libri Symbolici comprehenderentur, ſpeciatim Auguſtana Confeſſio invariata, eaque cum exemplis avthenticis accurate collata, hunc namque in finem, & ut adverſariorum obtrectationes repellerentur, exemplarium, quæ in Ordinum Evangelicorum Archivis ſervabantur, exacta collatio cum iſto, quod in tabulario Moguntino cuſtoditur, erat inſtituta. Poſtquam itaque formula Concordiæ a Theologis ſupra memoratis fuerat delineata, Elector Saxoniæ Auguſtus, & Brandenburgicus Johannes Georgius eam anno MDLXXV. die Catharinæ cum Ducibus Pomeraniæ communicarunt, adjuncta Theologorum, quos in ſuperioribus excitavimus, reſponſione ad judicium Theologorum Pomeranicorum, quod tulerant de libro Torgenſi. (*kkk*) Quibus factis anno MDLXXVIII. die purificationis Mariæ Synodus hic Gryphiswaldiæ habebatur (*lll*) & præſentibus ſeptendecim Theologis ſubſcriptio Formulæ Concordiæ proponebatur, quam tamen iidem recuſabant, has quidem cauſati rationes: (*mmm*) Primo quod in formula Concordiæ Confeſſio Auguſtana, quæ anno MDXL. typis expreſſa in colloquiis adhibita, & corpori doctrinæ Pomeranico inſerta, eſſet reprobata, e contrario autem exemplar illud Auguſtanæ Confeſſionis Moguntinum eſſet receptum, quod quidem Theologi Pomerani ferebant ægerrime;

Deinde quædam dicendi rationes in articulo de libero arbitrio, quales erant: *Voluntas hominis in converſione non eſt otioſa, ſed agit quid; Trahit Deus, ſed volentem trahit; Tantum velis, & Deus præ-*

occurret

(*kkk*) Exſtat illud ſub titulo: Reſponſio der Churfürſtlichen Sächſiſchen und Brandenburgiſchen Theologen; an die Pommerſchen Theologen, auf ihr Bedencken auf das Torgiſche Buch in D. Balthaſars 2ten Samml. P. 1. p 90. ſeqq.

(*lll*) Acta hujus Synodi exhibet D. Balthaſar in der 1ſten Samml. p. 346 ſeqq.

(*mmm*) Ipſum ſcriptum titulum præferens: Bedencken der Pommeriſchen Kirchen auf die verbeſſerte Formul Chriſtlicher Einigkeit, exſtat apud D. Balthaſarum in der 2ten Samml. P. 1. p. 116. ſeqq.

occurret tibi fuerint rejectæ; Tum forma doctrinæ *tres ſunt cauſæ converſionis* fuerit ſepoſita, & lis illa *de definitione evangelii*, an ſit concio pœnitentiæ, in articulo de lege & evangelio fuerit revocata ac defenſa; & controverſia *de Adiaphoris* eſſet confirmata ac ſtabilita. Statuebatur quoque hac in Synodo, quod prolixior hujus rei diſcuſſio ad Synodum Generalem totius Pomeraniæ Sedinenſem eſſet differenda, ad quam Superintendens generalis, qui erat Jacobus Rungius, vna cum duobus Theologis Gryphiswaldenſibus, uno Wolgaſtano, uno Anclamenſi, cum Paſtore Treptovenſi ſe deberet recipere.

Quare auctoritate Johannis Friderici & Erneſti Ludovici, anno MDLXXIIX. ipſis Calendis Maji Synodus Stettini congregabatur generalis, (*nnn*) in qua Wolgaſtana illa propoſitio de formulæ Concordiæ ſubſcriptione a Ducibus Pomeraniæ denuo promulgabatur.

Recuſabat autem Synodus ſubſcribere Formulæ Concordiæ quoad omnes & ſingulos articulos, cuncta, quæ in Synodo Gryphiswaldenſi fuerant geſta, plane approbabat, & ulterius explicabat, quanquam tempore inſequenti Theologi Pomeranici mentem ſuam ita dederunt declaratam, ut ad Jacobum Rungium ſcripſerit Martinus Chemnitius, *nullum diſſenſum quoad doctrinam remanere inter auctores Formulæ concordiæ & Theologos Pomeranos.*

Poſthæc Electores Saxoniæ, Brandenburgicus & Palatinus Præfationem formulæ Concordiæ Ducibus Pomeraniæ Johanni Friderico & Erneſto Ludovico, ad ſubſcribendum ei, transmittebant. Quare anno MDLXXIX. die Andreæ iterum Sedini celebrabatur Synodus, (*ooo*) in qua quæſtio ventilabatur: An ſine læſione veritatis cœleſtis, & detrimento corporis Pomeranici Formulæ Concordiæ Præfationi poſſit ſubſcribi?

(*nnn*) Acta hujus Synodi evolve apud D. Balthaſarum in der 1ſten Sammlung p. 375. ſeqq.

(*ooo*) Acta hujus Synodi recenſet D. Balthaſar in der 1ſten Samml. p. 402, ſeqq. Cram. l. c.

Verum enim vero Theologi & Paſtores a ſubſcriptione præfationis his quidem Duces averrebant rationibus: (*ppp*) Primo quod hac ſubſcriptione a corpore doctrinæ Pomeranico eſſent feceſſuri; Deinde nulla erronea & falſa doctrina, id quod præfatio innuat, hactenus in Pomerania fuiſſet diſſeminata, & acta denique Numburgenſia, anno MDLXI. publice confirmata, hac prafatione reſcinderentur, atque irrita pronuntiarentur. Rogabant ſimul Theologi & Paſtores huic Synodo qui intererant, ut Theologi auctores Formulam Concordiæ altera vice ad Pomeranos mitterent, eamque in Conventu omnium Ordinum Proteſtantium ulterius examinari paterentur, Principesque, ut corpori doctrinæ Pomeranico, tanquam cum verbo divino congruente, firmiter & arctiſſime inhærerent, admonebant.

Cum vero Formula Concordiæ in lucem exiret publicam, antequam dubiis a Theologis Pomeraniæ motis eſſet ſatisfactum, neque iidem ad colloquium aliquod eſſent invitati, (*qqq*) factum fuit, ut Pomerani in Formulæ Concordiæ ſubſcriptione nomen ſuum non fuerint profeſſi.

Erant itaque varia, quibus Pomeraniæ Theologi recuſatæ Formulæ Concordiæ ſubſcriptioni rationes obtendebant. Præter enim ea, quod in libro Torgenſi, formula Concordiæ & Præfatione ejus quædam, quibus aſſenſum ſuum ſalva conſcientia præberé non poſſint, continerentur, & hocce urgebant Theologi noſtri, quod Pomerania jam jam munita eſſet libro normali, corpore ſcilicet

(*ppp*) Id quod explicarunt prolixe in ſcripto: Der Pommeriſchen Theologen Bedencken auf die Præfation des Concordien Buchs, zu alten Stettin im December MDLXXIX. übergeben. Ap. D. Balthaſar. in der 2ten Samml. P. 1. p. 202. ſeqq.

(*qqq*) Quisnam huic invitationi impedimento fuerit, non ſatis liquet, probabilis eſt conjectura D. Balthaſaris nota † ad litteras Rungii ad Mart. Chemnitium in der 2ten Samml. P. 1. p. 194. Aſtui Calvinianorum clancullariorum in aula Ducis Johannis Friderici hoc adſcribendum.

licet doctrinæ Pomeranico, (*rrr*) unde ſuperfluum imo periculoſum eſſe cauſabantur, ſi novus liber conderetur Symbolicus. (*sss*)

Quod ſi autem in veras negati illius conſenſus rationes inquiſiveris, eas rectiſſime omnium inveniri in amore illo intenſiſſimo atque tenerrimo, quo Jacobus Rungius, qui tunc tempore cuncta in iis, quæ ad rem Pomeraniæ ſacram pertinebant, ſua autoritate eademque eminentiſſime regebat, in Philippum Melanchthonem, ſuum quippe Præceptorem, Hoſpitem olim ac ſingularem amicum abripiebatur, (*ttt*) cujus quippe & in docendo methodum ſequebatur,

(*rrr*) Impreſſum eſt hoc corpus doctrinæ Pomeranicum lingua Saxoniæ inferioris vernacula Wittebergæ MDLXV. Fol. Et continet

1) de dreie Symbola, Apoſtolicum, Nicenum, Athanaſii.
2) Bekentniß des Gelovens tho Augsborg Anno MDXXX. ſuerantwortet.
3) de Apologiam diſſer Confeßion.
4) Repetition der Augsvorgiſchen Confeßion, geſchreven von wegen des Concilii tho Trident Anno MDLI.
5) Höfft Artickel Chriſtlicker Lehre ym Latin genand Loci Theologici.
6) Examen der Ordinanden.
7) Philippi Melanchthonis Antwort up de affgödiſchen Artickel yn Beyerm geſtellet.

Hiſtoriam ejus delinearunt D. Jacobus Rungius im Bericht vom Pommeriſchen Corpore doctrinæ, ſuffixa denen Frag-Artickeln vom H. Abendmahl D. Cram. Groß Pommr. Kirchen Chron. L. 3. C. 656. p. 157. ſeqq.

Quæ in hoc corpore doctrinæ deſideranda affert D. Leonh. Hutterus in Concordia Conc. p. m. 340. ſeqq. Quæ vero Theologi Pomerani in defenſionem ejus protulerint, legi poſſunt ap. D. Balthaſarum in der 1ſten Samml. p. 327. ſeqq. in der 2ten Samml. p. 12. ſeqq p. 217. ſeqq. p. 282 ſeqq.

(*sss*) Adeoque eo tempore jam ſollicitos tenuit Theologorum animos, quæſtio noſtro quoque tempore valde controverſa: An e re ſit eccleſiæ nova condere Symbola, & numerum librorum Symbolicorum augere? Quam evolvunt Jac. Acontius de Stratagem. Sat L. 7. p. m. 313. ſeqq. Joh Henr. Majus Diſſ. de Hæreſ. Pract. S. 2. L. 1. §. 3. p. 33. Schelguig. Synopſ. Controv. Art. 5. Q. 17. p. 80. ſeqq. & ſingulari cum judicio Georg. Aug. Pachomius (quo ſub nomine latere Zeltnerum, celeberrimum tunc temporis Academiæ Altorffinæ Theologum, pervulgatum eſt) in Synopſ. Logom. ut vulgo vocant Pietiſt. C. 5. Q. 17. p. 88. 89.

(*ttt*) Quamvis hoc amoris adverſus Præceptorem præjudicium in multis Rungio oculos obtuſcarit, maxime tamen ſollicitum eum fuiſſe in indaganda veritate, patet ex litteris, ad M Laurentium Weſſelum Paſtorem tunc temporis Tribucenſem

quebatur, & famam quacunque ratione ſartam ac tectam ſervare contendebat enixiſſime. Unde diſſimulabat multa, alia in partem meliorem & mitiorem interpretabatur. Erant præterea hic in Pomerania plurimi Doctores & eccleſiarum Miniſtri, qui in Academia Wittebergenſi a Philippi Melanchthonis, tanquam communis illius Germaniæ Præceptoris, ore pependerant, ſcitis & placitis ejusdem imbuti, unde nemo temere negaverit, Theologos, qui Pomeraniam tunc temporis illuſtrabant, nimium dediſſe, quo in Melanchthonem ducebantur, ſtudio atque amori. Cum itaque Pomeraniæ Theologi nulla ratione poſſint flecti, ut totam formulam Concordiæ ſingulosque ejus articulos probarent, in hanc ingreſſi ſententiam, Auguſtanam Confeſſionem & corpus doctrinæ Pomeranicum eccleſiis hujus ditionis ſufficere, apud exteros Electores ac Principes non carebant ſuſpicione Calvinianiſmi.

At enim vero falſam de ſe conceptam opinionem ita quidem in judiciis ſuis de libro Torgenſi & Præfatione Formulæ Concordiæ diſcutere allaborarunt: **Wir alle bekennen und bezeugen, deren Namen hier unterſchrieben ſind, daß mit ſolchen Verdacht unſern Perſonen und dieſer Kirchen Gewalt und Unrecht geſchiehet, und ſagen abermahl, daß wir vom hochwürdigen Sacrament des Leibes und Blutes Chriſti, und von der Perſon und Majeſtät Chriſti alſo und dergeſtalt glauben und lehren, wie die Chriſtliche Lehre hievon im erſten Torgiſchen Buch, und in der verbeſſerten** Concordien Formul **begriffen und erkläret iſt.**

Interim

cenſem datis Wolgaſto Calendis Octobris MDLXXIX. ubi inter alia ſic mentem ſuam exprimit: Omnia quæ de hac quæſtione diſſerui, (An ſcilicet evangelium ſit concio pœnitentiæ?) hoc animo diſſerui, ut, ſi cui non ſatisfaciat, per Chriſtum eum obteſtatus ſim, ut pie fraterne & placide, ſine acerbitate meliora oſtendat, & noſtra refellat. Si quid igitur ſecus tibi videtur, quæſo libere ad me perſcribas. Ne metuas aut exiſtemes id mihi fore adverſum. Erit mihi id pergratum & exoptatum. Ipſæ Litteræ exſtant apud D. Balthaſarum **in der 2ten Samml. P. I. p. 201. 202.**

Interim vero non ſine ingenti dolore atque mœrore ſincerorum atque Orthodoxorum Pomeraniæ Theologorum, nec minore eccleſiæ Pomeranicæ concuſſione accidebat, ut nonnulli Politici in Aula, & Doctores in illuſtri Schola Sedinenſi in Calvinianorum irent ſententiam. (*uuu*) Quibus tamen ſinceriores Pomeraniæ Theologi reſiſtebant maſcule, ac pectus obvertebant intrepidum. Dux vero Stettinenſis Johannes Fridericus ſentiens tandem, technis Calvinianorum ſeſe fuiſſe deceptum, admonitus præterea ab exteris Principibus, apud quos Pomerani in Calviniſini ſuſpicionem erant adducti, non modo omni contentione, verum etiam dimicatione, in eo elaborabat, motus hi ut compeſcerentur, ac Pomerania a Calviniſmi labe omnino repurgaretur.

Synodus igitur e Pomeraniæ Theologis præſtantiſſimis, quos inter Jacobus Rungius, ſuo jure Calviniſtarum malleus dicendus, Principatum tenebat, anno MDXCIII. menſe Majo Stettini cogebatur. (*www*) Omnibus igitur, quæ ad rem hancce arduam pertinere videbantur, probe circumſpectis, Calvini partibus tandem addicti Clerici, quos Gerhardus & Conradus Bergii, Friſius & Stygius in

(*uuu*) Hiſtoriam hujus rei tradit D. Cram. Groß Pommr. Kirchen Chron. L. 4. C. 3. f. 10. 11. C. 5. f. 23. C. 8. f. 28. C. 10. f. 38. C. 13. f. 45. ſeqq. C. 14. f. 49. ſeqq. D Micræl in alt. Pomm. L. 3. P. 2. §. 38. ſeqq. p. 391. ſeqq. Id. in Syntagm. Hiſt. Eccl. L. 3. S. 2. n. 74. p. m. 1058. D. Balthaſar in der 2ten Samml. in Vita Jacobi Rungii p. 487. ſeqq. Et teſtis αὐτόπτης D. Salomon Geſnerus in relatione hiſtorica MSS. de his Controverſiis ad Principem Pomeraniæ Johannem Fridericum, octo plagulis conſtante.

(*www*) De hujus Synodi actis agitur in relatione MSSta magnæ Synodi Stettinenſis anno MDXCIII. habitæ contra Calvinianos, & Jacobus Rungius in litteris Sedini datis ad N.N die decimo quarto Maji MDXCIII. exitum ejus his depingit coloribus: Salutem in Chriſto Cariſſime Fili, Calviniana res Dei beneficio feliciter hic ceſſit. Martino Friſio, Stygio, Tilemanno, Calemanno, Piverlingo & Lullæo cum duobus Collegis adductis ad abnegationem erroris, & ſubſcriptionem libri Concordiæ in duobus articulis de Cœna Domini & Perſona Chriſti. Politicis quoque in aula, curia, Civitate ſevere admonitis ut quieſcant, & ab errore, & ab omni diſputatione contraria deſiſtant, ſub pœna ſeparationis a Sacramentis, & relegationis ex hac regione. Dies docebit qualis executio ſit. Si Miniſterium vigilaverit & fidem præſtabit, minus erit periculi,

in Calvinianorum ſententias pertraxerant, ad errores recantandos adigebantur; Stygius & alii nonnulli, errorum convicti, e Pomeraniæ limitibus exterminabantur; Politicis vero, ſeverioribus conſtrictis mandatis, leges ſilentii imponebantur.

Ut vero Pomerania contra Calvinianorum inſultus muniretur, tres articuli Formulæ Concordiæ, de Perſona Chriſti, ſacra Cœna & Prædeſtinatione, ut ſuſtinerent normam doctrinæ in Pomerania, auctoritate & juſſu Principum Pomeranicorum anno MDXCIII. typis exprimebantur hoc titulo: **Bekenntniß und Lehre der Kirchen in Pommern, von dem heiligen Nachtmahl, von der Perſon und beyden Naturen in Chriſto, und von der ewigen Vorſehung und Wahl GOttes.** (*xxx*)

Patet ex hiſce falli eos rerum Pomeranicarum ſcriptores, & inter hos Johannem Micrælium in Syntagmate hiſtoriarum eccleſiæ omnium Lib. 3. p. m. 549. qui tradunt formulam Concordiæ in hac Synodo Stettinenſi receptam omnino atque probatam fuiſſe. Eſſe enim hæc de articulis iſtis tribus formulæ Concordiæ modo commemoratis ſaltem capienda, hiſtoria hujus Synodi ac temporum ſubſequentium ſatis confirmat atque declarat. Multi dehinc effluxe-

(*xxx*) Huic confeſſioni non ſolum præfixa ſunt inſignia Ducum Pomeraniæ, ſed etiam peculiare mandatum, publicatum die decimo Maji anno MDXCIII. in quo Principes Pomeraniæ ſuſpicionem Calviniſmi a ſe amoliuntur, inſignem pro puritate evangelii zelum produnt & teſtantur: Sie wollen ſich aller Secten, ſo dem göttlichen Wort, der Einhelligkeit der wahren Chriſtlichen Kirchen, der Augſpurgiſchen Confeßion ſo Anno 30. exhibiret iſt, folgends publicirten Religions-Friede, unſerer Kirchen-Ordnung, Corpori doctrinæ und dazu gehörigen Büchern zu wiedern ſind, gäntzlich ſich entſchlagen, und denenſelben in ihren Landen und Fürſtenthumen keinen Raum und Statt geben. Poſtea quoque declarant, daß nachfolgende Bekäntniß der Pommeriſchen Kirchen, zur Chriſtlichen Erklährung des hiebevor für 30. Jahren angenommenen Pommeriſchen Corporis doctrinæ in öffentlichen Abdruck zu publiciren. Accedunt alia quædam mandata Anteceſſorum, tanquam teſtimonium ſummæ eorum pro conſervanda puritate religionis diligentiæ, quam quoque deprædicat Vir meritis in Academiam Gryphicam & hiſtoriam Patriam clariſſimus, nobisque amiciſſimus Andreas Weſtphal, in Commentatione de Ducum Pomeraniæ pio ſtudio ſervatæ Auguſtanæ Confeſſionis ac promotæ religionis evangelicæ.

effluxerunt anni, priusquam integra formula Concordiæ in numerum librorum Pomeraniæ Symbolicorum reciperetur.

Tandem vero evenit, ut anno MDCXXIII. (*yyy*) integra formula Concordiæ consentiente Duce Wolgastano Philippo Julio ab hacce Academia tánquam liber Symbolicus reciperetur. Hoc namque anno, quo Bartholdus Kranckevitzius, Bartholomæus Battus, & Joachimus Beringius hanc Academiam reddebant illustriorem, condebantur statuta venerandæ Facultatis Theologicæ Gryphiswaldensis, in quibus integra demum formula Concordiæ, omisso corpore doctrinæ Pomeranico, inter libros ecclesiæ Pomeranicæ Symbolicos his quidem verbis legitur relata: *Omnes & singuli Theologiæ Professores in Schola hac docturi, tam qui in facultate sunt, quam extra facultatem degentes, postquam a Magnifico Domino Rectore & universo concilio fuerint recepti, solenni juramento coram facultate Theologica promittent, se ad extremum vitæ periculum in veritate omnium capitum doctrinæ Christianæ, juxta normam Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ, Symbola antiqua & recentia, Apostolicum, Nicenum, Athanasianum, Augustanam item anno MDXXX. exhibitam Confessionem, ejusdem Apologiam, Articulos Schmalcaldicos, majorem & minorem Catechismum Lutheri, FORMULAM denique CONCORDIÆ constanter perseveraturos.* Et hæc statuta a Duce Philippo Julio, tanquam tunc temporis Academiæ Gryphiswaldensis Patrono, sunt confirmata, a Professoribus hujus Academiæ probata, & sigillo universitatis sunt munita.

Neque hac tamen ratione auctoritas formulæ Concordiæ in Pomerania tum quidem videtur fuisse asserta. Ita namque in con-

 stitu-

(*yyy*) Si hoc firmo stat talo, nescio quo modo conciliari possit, quod Bogislaus postea ejusdem inter libros Symbolicos non meminerit, uti in sequentibus docetur, & conjectura illa D. Balthasaris omnem vim perderet, quam protulit in der 2ten Samml. P. 1. p 312. quæ alias probabilitate sua non destituitur. Forte æquivocatio nominis formulæ Concordiæ evoluta, omne dubium posset tollere, si formula Concordiæ sumeretur synechdochice, pro iis articulis, quos in ea Pomerani approbarunt, iisque suum assensum largiti sunt. Sed hac de re quilibet suo abundet sensu usque dum majus ex historia lumen assequatur.

ſtitutione illa, quæ auctoritate Bogislai XIV. anno MDCXXXVI. die decima tertia Maji emanavit, equidem **der Pomriſchen Bekenntniß und Lehre der Kirchen in Pommern**, non autem integræ Formulæ Concordiæ injicitur mentio. (*zzz*)

Cum poſthæc in tabulis pacis Weſtphalicæ Pomerania eſſet juſſa venerari ſceptra Regum Sueciæ Auguſtiſſimorum & potentiſſimorum, iidemque varia, quæ faciebant ad rem Pomeraniæ ſacram, ordinarent, Auguſtana quidem Confeſſio, nec non **die Bekenntniß und Lehre der Kirchen in Pommern**, non vero integra formula Concordiæ commemoratur, usque dum juſſu & auctoritate demum Caroli undecimi, Regis recordationis glorioſiſſimæ, eadem tanquam liber Symbolicus & normalis eccleſiæ Pomeranicæ eſt injuncta & demandata. (*aaaa*)

Tantæ

(*zzz*) In ea enim conſtitutione hi Pomeraniæ libri Symbolici determinantur
1) Die heilige Schrifft.
2) Die unveränderte Augſpurgiſche Confeßion, wie Sie 1530. Carolo V. übergeben.
3) Das Corpus doctrinæ Chriſtianæ Pomeranicum.
4) Die Streit-Schrifften Lutheri auf Anordnung der Pommeriſchen Fürſten 1570 gedruckt.
5) Die Bekäntniß der Pommern in dem Stettiniſchen Synodo 1593.
6) Die Pommeriſche Kirchen-Ordnung und Agenda.
Conf. Anon. **Nachricht wie es in Pommern mit der publiquen Abſchaffung des päbſtlichen Kirchen-Weſens bewand geweſen** §. 18. not.** p. 22.

(*aaaa*) Præfixum eſt mandatum illud Regium ordinationi eccleſiaſticæ Pomeranicæ anno MDCXC. Sedini in forma majori evulgatæ; & conſignatum Holmiæ die vigeſimo octavo Junii MDCLXXXIIX. In eo vero ſequentia verba exſtant: **Es ſollen gedachter Kirchen-Ordnung und Agenda, die Bekäntniß der Lehre der Kirchen in Pommern, wiederhohlet im** Synodo **zu Stettin** anno MDXCIII. **und den** liber Concordiæ, **um in** doctrinalibus **ſich darnach zu richten, ingleichen die** Leges Præpoſiturarum & ſtatuta Synodalia, **welche von denen Hertzogen zu Pommern** boni ordinis & decori conſervandi cauſa promulgiret **worden, angefüget werden.** Et paulo poſt: **Daß der Abdruck dieſer vorerwehnten neu aufgelegten Stücke** publica & ſpecialis doctrinæ, vitæ & Ceremoniarum confeſſio.

Quod vero hi libri ad inſtantiam ſtatuum Provincialium Pomeraniæ ulteriorıs ordinationi & agendis tum temporis non additi, ea de re forte alia occaſione plura proferemus.

Tantæ igitur erat molis ſuam formulæ Concordiæ auctoritatem in Pomerania firmare & ſtabilire. (*bbbb*)

Eſt hoc beneficium ſupremi Numinis gratiæ, clementiæ ac providentiæ in totum adſcribendum ac tribuendum, ut, fabulis ac fallaciis Pontificiis explosis, Pomerania ante hos ducentos annos e tenebris in lucem clariorem protracta, veritati cœleſti fuerit aſſerta, ac per integra duo ſecula, inter innumeras temporum ac rerum difficultates & viciſſitudines, armorum ſtrepitus & adverſariorum fraudes & machinas, ſervata religionis puritate & caſtimonia, gaudeat atque lætetur.

Tu æternum & unicum Numen, cuncta producens ſapientiſſime, cuncta proviſu ſapientiſſimo complectens ac dirigens averte clementer, quæ ſerium religionis evangelicæ ac librorum Symbolicorum, pietatis ac veritatis ſtudium corrumpere queant ac turbare.

Faxit idem Numen æternum, ut, dum ſacris gaudemus ac triumphamus emendatis, vitæ quoque emendationi ac morum ſanctitati ſtudeamus, & Academia Gryphica ſemper ſit veræ ac incorruptæ religionis, meliorum litterarum atque humanitatis ſacrarium.

Vivat *Rex* noſter clementiſſimus Fridericus una cum *Regina* Auguſtiſſima quam feliciſſime quam diutiſſime; Quieſcant Suecia ac Pomerania ſub ejus umbra & lacertis quam ſuaviſſime quam dulciſſime!

Valeant regni Suecici Senatores eminentiſſimi, ac Cancellarius hujus Academiæ Magnificentiſſimus Illuſtriſſimus!

Floreant Rector hujus Academiæ Magnificus, Pro-Cancellarius Generoſus ac ſumme reverendus, reliqui quoque Patres Academiæ conſcripti devenerandi!

Deus ſalutem ejus firmet potentius, æternisque radiis fati melioris ſplendere jubeat.

DIXI.

(*bbbb*) De toto hoc negotio acceptationis Formulæ Concordiæ in Pomerania evolvatur D. Conradi Tiburtii Rangonis obex hæreticorum & Syncretiſtarum Q. 12. Et qui ſingulari ἀκριβείᾳ in hoc negotio verſatus eſt. D. Jac. Hinr. Balthaſaris 2te Sammlung P. 1. p. 311. ſeqq.

ORATIO SECUNDA.

Magnifice Domine Rector,
Magnifice Domine Pro-Cancellarie,
Viri ſumme venerandi,
Conſultiſſimi, Experientiſſimi,
Excellentiſſimi, Ampliſſimi,
Præceptores Optimi, Fautores maximopere ſuſpiciendi.
Commilitones, illuſtris, generoſi,
Nobiliſſimi & florentiſſimi.
Auditores omnium Ordinum ac dignitatum honoratiſſimi, colendiſſimi,

ESſe ſupremum ſapientiſſimumque omnium rerum auctorem, arbitrum ac moderatorem (*a*) infinitis prædituм perfectionibus, Duce tum natura tum revelatione mortalibus poteſt eſſe adeo cognitum atque exploratum, quam quod exploratiſſimum.

Eloquuntur hoc *Corpora cæleſtia*, (*b*) molis ſtupendæ, quæ ſervatis conſtanter ordinis legibus, a Deo ſapienter fixis & conſtitutis, volvuntur & circumvolvuntur, nec unquam ſuo a curſu deflectunt.

Idem

(*a*) Poſſibilitatem exiſtentiæ divinæ evincit Cl Reinbeckius in den Betracht. über die in der Augſp Conf. enth. Wahrh. P. 1. Betr. 1. §. 7. ſeqq idque neceſſarium arbitratur, ne quis me eam ob cauſam pro ſtulto reputet, quod Deum eſſe credam. Mihi vero hæc ſtat ſententia. Si quis ſanæ mentis, eique cognita idea ſub nomine Dei comprehenſa, & nihilominus poſſibilitatem exiſtentiæ ejus ſibi probari poſtulat, eum pro ſtulto reputandum & plane rejiciendum eſſe; quemadmodum omnes eos merito repudiamus, qui veritates per ſe evidentes v. g. totum majus eſſe ſua parte, ſibi probari poſtulant.

(*b*) Pſ. XIX, v. 12. Elocutione ſcil. reali non verbali. Dum clariſſime oſtendunt ſapientiam ſummam & potentiam infinitam artificis & Creatoris ſui.

Idem teſtantur *Aves iſtæ* (c) verſicolores, garrulæ, loquaces, vagæ, quæ aures dulci modulamine mulcentes, & ſuaven concentum frondibus e reſonis edentes, varios in æthere luſus effingunt.

Evictum hocce ac comprobatum dant *tam variæ illæ beſtiæ*, in terra ubivis oberrantes, quarum tamen multitudo inſignis admodum nullis premitur impedimentis.

Quam variæ iſtæ longeque diverſiſſimæ ſpecies *florum* gratiſſimorum fragrantium, & adeo pulchre exornatorum, ut artem pictorum quantumvis ſummam in iis delineandis & ad ſimilitudinem exprimendis eludant.

Eandem Dei exiſtentiam gloriamque *herbæ tot* ſuaues, lætæ, jucundæ, dulces, medicæ, ſapidæ, vindicant egregie.

Teſtes ejus locupletiſſimi ſunt *montes illi feraces*, qui e ſuis viſceribus varia metallorum genera in mortalium uſus effundunt largiſſime.

Idem docent *Piſces*, quibus maria & amnes ſcatent, quique hominum ſuſtentationi inſerviunt quam maxime.

Certe ſi oculos per univerſum hocce attentius circumtuleris, ubique veſtigia exiſtentiæ Dei leges manifeſtiſſima; Etenim cum eundo per omnes Ordines ac claſſes, ſtructuram earum admirabilem offendamus, ut & ex ordine, & omnium rerum ad certum finem luculentiſſima directione, ſummam ac prorſus ſtupendam ſapientiam eluceſcere deprehendamus; Neceſſario inde colligendum erit, (niſi quis omnem rationem abjecerit, exuerit atque ejuraverit) dari ens aliquod ſapientiſſimum, adeoque & perfectiſſimum, quod hæc omnia confecerit conſtitueritque.

Deſcendere ad ſingula ſi vellemus, prolixum nimis, atque ab inſtituti noſtri ratione prorſus alienum foret, cum plures, puta e gente Anglicana Johannes Rajus, Johannes Eduardus, Nehemias

(c) Hiob XII, v. 7. 8. Eſt hic προσωποποιίας ſpecies in qua animantia Perſonam reſpondentis & docentis induunt. Intelligitur vero informatio objectiva, & quidem clariſſima, quaſi res objectæ intellectui & conſiderationi noſtræ loquerentur.

Grew, Wilhelmus Deerham; E Gallis Jacobus Abbadie, Fenelonius; E Germanis Bartholdus Henricus Brockes, Daniel Wilhelmus Triller, Chriſtianus Wolffius & alii, nobiliſſimum hocce doctrinæ argumentum jamjam occupaverint ac plenius excuſſerint. (*d*)

Quod ſi autem quis a contemplatione artificioſæ ſtructuræ mundi, & admirandæ ejusdem conſervationis, nec non multitudinis rerum creatarum, ſuum animum ad ſeſe ipſum tranſtulerit, ſeria æſtimatione tam ſuum ortum quam indolem ſuum perſecutus, veſtigia iterum exiſtentiæ Dei offendet manifeſtiſſima.

Quæ omnia cum lumen menti præferunt clariſſimum, ſacer quidem codex illos, quorum mens tenebris errorum & ignorantiæ hic eſt involuta, ſtultorum nota deſignat. (*e*)

Hi enim tanta ſæviunt audacia, inque transverſum adeo rapiuntur, ut negata Dei exiſtentia, cœlum ipſum ſua petant audacia, Deum de ſuo Majeſtatis throno deturbaturi. (*f*)

Quem

(*d*) Triplici id executi ſunt argumentorum genere; alii *argumentis metaphyſicis*, ab Origine motus, dependentia rerum a ſuis cauſis, a rerum contingentia, & ſic porro: Inter quos agmen ducit Samuel Clarckius, in demonſtratione exiſtentiæ & attributorum Dei, adverſus Hobbeſium & Spinozam potiſſimum, quam ex anglica lingua in latinam transtulit Jenkinus Thomaſius; alii *argumentis phyſicis*, ex orbis hujus aſpectabilis amplitudine & ordine, e telluris noſtræ animantiumque in ea ob ambulantium conſtitutione, hominum Origine, omniumque ad certum aliquem finem operatione & reliqua. Inter quos eminet Samuel Parckerus de Deo & providentia; alii *argumentis hiſtoricis*, ex regnorum & Rerumpublicarum, gentium atque populorum, artium atque ſcientiarum origine & incrementis; Interquos cœteris palmam præfert Iſaacus Jaquelot de l' exiſtence de Dieu. Conf. D. Jo. Fr. Buddeus in Theſ. Theol. de Atheiſm. & Superſtit. C. 5. §. 2. ſeqq. p. 372. ſeqq.

(*e*) Pſ. XIV, v. 1. Intelligit vero nomine ſtulti hominem & intellectu & voluntate corruptum, id quod bene in Atheum quadrat, cujus intellectus coecitate, voluntas vero malitia laborat.

(*f*) An dentur ejusmodi Athei, nonnulli in dubium vocarunt, quia notitia Dei innata non poſſit plane obliterari; Verum experientia illos refellit, quæ proh dolor! ejusmodi homines vel potius monſtra hominum nobis ſiſtit. Diſtingui tamen oportere putamus inter Atheos per totum vitæ tempus, & per aliquod ejus ſpatium, & priores omnino non vel vix & rariſſime exiſtere, poſteriorum vero exempla frequentiora eſſe, quam optandum: item inter Atheiſmum absque

Quem exiſtere perſpicis ratio Deum, colendum etiam eſſe docet. Eſſe eum cultu excipiendum ſubjectiſſimo, ex eius natura, perfectione omnibus numeris abſoluta, (*g*) & gentium omnium conſenſione (*h*) cognoſcimus evidentiſſime. Conſideratio clementiæ, benignitatis & ſapientiæ Dei excitat in nobis timorem; Ratio igitur amore & timore nos Deum proſequi jubet.

Cumque is omnium bonorum ſummum ſit, ſummo etiam amore eundem eſſe amandum nemo non intelligit. Homines igitur in hocce ens infinitum, tanquam finem ſuum ultimum naturæ quodam ductu ferri planum eſt atque perſpectum.

Quod ſi quis notitia Dei, quam diximus, fuerit imbutus, ex adverſo autem cultum illum, ipſi qui debetur, in dubium aut vocaverit, aut veritatem hancce furore & improbitate quadam depreſſerit, de eo omnino eſt pronuntiandum, quod eo jam adductus ſit amentiæ, ut naturæ & humanitati inimicus inventus, ſibi præter for-

que omni hæſitatione, & cum multis dubitationibus conjunctum; Prioris exemplum vix poſſe proferri, poſterioris vero teſtimonium ferme omnia atheorum exempla dare. Quare Atheus iſſe apud Spenerum aperte confitebatur, ſtatum Atheorum eſſe ſumma cum miſeria conjunctum, & ſi uxor & liberi ipſi contingerent, ſe illos velle in Chriſtiana religione inſtituere, nec verbum aliquod de Atheiſmo illis propalare. Spen. Theol. Bed. P. 1. C. 1. S. 12. pag. 53. 54. Conf. Scherz. Brev. Hülſ. Extenſ. C. 2. th. 1. p. 86. ſeqq. Fabric. Conſider. var. Controv. p. 1. 2. Budd. Theol. Mor. P. 2. C. 3. S. 1. §. 18. n. 1. pag. 506. Id. de Atheiſm. & Superſtit. C. 1. §. 1. p. 4. aliique plures.

(*g*) Ad hanc perfectionem quoque referenda eſt Providentia Dei, qua hominum curam gerit, adeoque ipſi cum hominibus commercium intercedit; Si enim, quod fingebat Epicurus, in ſummo cœlo ſederet otioſus, nec ulla rerum ſublunarium cura tangeretur, nulla quoque eſſet ratio, quare cultum noſtrum ei exhiberemus, ſupplicesque ad eum manus extenderemus, ad minimum cultus illius valde remiſſus futurus, dum pauciſſimi hominum ita comparati, ut propter ſolam præſtantiam naturæ alicui cultum exhibeant. Conf. Budd. de Atheiſm. & Superſtit. C. 1. §. 19. not. ** p. 66. ſeqq.

(*h*) Hunc conſenſum eripere nobis ſtuduit Vir magni ingenii, ſed corruptæ voluntatis, Petrus Bælius, aſſerens integros dari populos Atheiſticos, Cafros ſ. Hottentottos, Naſamones & alios; Verum vindicarunt illum Joh. Lud Fabricius in Apologetico pro genere humano contra calumniam Atheiſmi. Lœſch. in Prænott. Theol. Prænot 1. §. 5. ſeqq. p. 3. ſeqq. Grap. Theol. rec. Controv. C. 1. Q. 16. §. 4. p. 32. ſeqq.

formam nihil ad ſimilitudinem hominis reſervaverit. (*i*) Eſt in ejusmodi hominibus, quorum ingenia ſic hebetata, fracta & contuſa ſunt, nullus humanitatis ſenſus, furor quidam illorum effrenatam importunamque naturam quadam oppreſſit amentia, eos ſua fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate & mente dejecerunt: His faces ſunt admovendæ, quæ illos excitent, ut crapulam diſcutiant, tantæ cauſæ indormientes, ac cogitationem ſobrii hominis puncto temporis ſuſcipiant.

Eſt autem hicce Dei cultus vel *internus*, (*k*) quo homines Deo tanquam ſummo ſuo bono vera adhærent fide, eum toto corde reſpiciunt, illum religioſa veneratione & amore intimo colunt, omnemque ſuam ſalutem & ſpem omnem in eo figunt ac ponunt; vel *externus*, (*l*) quo amor iſte divinus ſeu cultus internus per verba & facta externa, quoties Occaſio tulerit, aut res ipſa poſtulaverit, declaratur, ad leges & promiſſa Dei erectis auribus intenditur aliique actus ſacri perficiuntur, ut gloria divina hoc ipſo perficiatur atque illuſtrior reddatur, & alii etiam homines ad verum Dei cultum accendantur inflammenturque.

Cultum

(*i*) Atheiſmi fautores hoc quidem concedere nolunt, ſed obvertunt, Atheos plerosque ſapientes, & probatiſſimis moribus præditos, qua in re iterum diligentiam ſuam perverſam oſtendit Bælius; Verum Atheorum ſapientiam eſſe nullam, & pietatem eorum ſimulatam omnique fundamento deſtitutam, oſtendunt Lœſch. l. c. Prænot. 3. & 4. p. 11. ſeqq. Thomaſ Einleit. zur Sittenl. C. 3 §. 63. p. 145. §. 70 p 148. ſeqq. Budd. de Ath. & Superſtit, C. 4. §. 4. p. 331. ſeqq. Bentl. de ſtultit. & irration. Atheiſm. per tot.

(*k*) Hunc internum cultum Deus præcipue ab hominibus requirit, & absque eo omnis cultus externus vanus atque inutilis, imo Deo plane adverſus & abominabilis. Vid. Deut. X, v. 12. Jeſ. I, v. 10. ſeqq. C. 29. v. 13. 14.]

(*l*) An hic cultus Dei externus ex lumine naturæ poſſit probari, diſputatum eſt inter eruditos. Negavit illud & argumentis impugnavit D. Chriſt. Thomaſ. in Jurispr. div. L. 2. C. 1. §. 8. ſeqq. p m 147. ſeqq. Et in der Einleit. zur Sittenl. C. 3. §. 32. ſeqq. p. 134. ſeqq. Affirmant vero, & argumenta ejus impugnarunt D. Joh. Georg. Röſerus in Inſtitt. mor. L. 1. C. 4. Q. 30. p. 138. ſeqq. Et decus Academiæ Gryphicæ noſterque fautor ſingularis D. Nic Köppen pecul. Diſp. De cultu Dei externo, quibus calculum noſtrum adjicimus.

Cultum hunc Dei externum dirigunt *Ordinationes* quas dicunt *Ecclesiasticæ*, jussu atque autoritate eorum, qui summum in Civitatibus tenent ac tractant Imperium, consultis simul ordinis sacri Viris, publicatæ pariter ac promulgatæ, (*m*) ut cœtus religiosus sapienter regatur ac sacer Dei cultus promoveatur, ordinisque servatis legibus exerceatur.

Posse sane ecclesiam ordinatione & institutionibus ejusmodi ægerrime carere, (*n*) ex ejus structura & indole nullo confici poterit negotio. Qualis esset futura Societas hominum, quæ legibus & statutis esset soluta? Quo major & amplior quævis est Societas, ea sapientioribus vincienda & coërcenda erit legibus, voluntates namque mortalium non semper sibi similes existunt, neque eundem æquabilitatis retinent cursum, sed variæ admodum, flexibiles & multiplices, in constantia ac levitate versantur; Unde in diversas partes ac diversa studia scinduntur, lacerantur ac dividuntur.

Ut igitur consilia eorum, qui rerum novarum sunt studiosi, anticipentur, occasionesque discordiarum & confusiones prævertantur, contra autem concinnus societati ordo concilietur, certam quandam normam, ad quam actiones in illa degentium componantur, exstare necessarium est.

(*m*) Jus conficiendi & promulgandi Ordinationem ecclesiasticam proprie spectat ad ecclesiam, quare ipsi quoque Apostoli in rebus, quæ ad ordinem ecclesiæ spectabant, adhibebant ipsam multitudinem ejusque consensum requirebant. Vid. Act VI, v. 1. seqq. Quia vero Reipublicæ plurimum interest, quomodo cultus externus peragatur, Princeps merito huic negotio præsidet, & omnia dirigit, ut sine tumultu & confusione peragantur; Cum vero sacri Ordinis Viri his in rebus valde sint exercitati, & longa experientia multa addidicerint, merito illos in consilium advocat, nec temere eorum rationes negligit. Plura qui hac de re legere cupit, adeat D. Carpzov. P. 2. Decis. 113. D. Bœhm. Disp. de Jure Liturg. C. 2. p 55 seqq. qui tamen diversas inter se opiniones fovent.

(*n*) Inde patet, necessitatem liturgiarum non esse absolutam sed hypotheticam, pro statu hominum præsenti corrupto; Si enim homines omnes voluntatem suam ad normam verbi divini componerent, nullum est dubium, quod ecclesia ordinationibus ecclesiasticis facile carere possit. Quare vero nullus Patrum completam ordinationem ecclesiasticam composuerit, ex Joh. a Lasco forma Eccles. rationes adducunt Unschuld. Nachr. d. anno 1701. Mens. April. p. 112.

Judicatu ergo quam facillimum fuerit, quantum confuſionis & perturbationis periculum cœtui ſacro, ſive in publico cultus divini exercitio, ſive in mediorum gratiæ uſurpatione, ſive aliis in rebus immineat, niſi is Conſtitutionibus, de circumſtantiis rerum & actionum ad illum pertinentium diſponentibus ſalutariter, fuerit munitus firmatus ac ſuffultus.

Ad ſcopum hunc collineat etiam *Ordinatio Pomeranorum eccleſiaſtica*, cujus hiſtoriam & fata brevi Oratione delineabo, memoriam ejus ſecularem, ea qua decet pietate, inſtauraturus ac celebraturus, poſtquam anno hoc præſenti binorum ſeculorum tempus effluxit, quo ordinationis Pomeranorum eccleſiaſticæ prima lineamenta, anno milleſimo quingenteſimo quinto & trigeſimo, typis publicis Wittebergæ ſunt expreſſa ac divulgata; Haud itaque mihi videor inanem prorſus ſuſcepiſſe operam, qui negotium rei hujus ad poſteritatis memoriam inſignis admodum & glorioſæ, vobis Auditores, pro ſua quisque dignitate honoratiſſimi, non tam declararem (dudum enim illud agnoviſtis) quam potius in animum revocarem. Ego autem cum neque eo valeam ingenio, quod tanti negotii, tot difficultatibus & impedimentis circumſepti olim, magnitudinem adſequeretur; Neque juſto inſtructus ſim eruditionis apparatu; Neque in arte dicendi adeo ſim verſatus, ut tam illuſtri diſertiſſimorum Virorum conſenſui queam ſatisfacere, intelligo Auditores honoratiſſimi veſtram mihi gratiam eſſe colligendam, ut de re graviſſima mediocriter dicturo aures dare benevolas, animisque favere haud gravemini.

Quæ lux doctrinæ cœleſtis clarior illuxerat Saxoniæ, poſtquam Martinus Lutherus ſeculo ſexto & decimo, Dei benigniſſimo conſilio & deſtinatione excitatus, religionis emendandæ, atque a corruptelis & erroribus, qui poſt tot ſeculorum depravationes in orbem Chriſtianum erant invecti, repurgandæ negotium feliciter fuerat exorſus; Ea etiam haud multo poſt Pomeraniæ illata, denſiſſimas Pontificiorum tenebras paulatim cœpit diſcutere ac profligare.

Initio

Initio quidem variæ rerum difficultates ſeſe exerebant, negotium hoc aut ſufflaminantes, aut diſturbantes & interrumpentes, (*o*) dum qui tunc temporis rebus Pomeraniæ præſidebant, Duces Bogislaus decimus hujusque filius Georgius, negotio huic ſaluberrimo in illuſtrius promovendo, opem atque conſilia denegabant, atque fulgori ſincerioris doctrinæ proiiciendo larius obſtabant.

Tandem vero tempus appropinquabat auſpicatiſſimum, quo exploſis eliminatisque reſiduis Pontificiorum erroribus, lux doctrinæ evangelicæ tota in Pomerania accendebatur, poſtquam Georgii, anno milleſimo quingenteſimo primo & trigeſimo fatis ſuis defuncti, filius Philippus I. Dux Wolgaſtanus, hujusque Patruus Barnimus, Dux Stetinenſis, nihil inexpertum atque intentatum reliquerunt, ut cuncta, quæ renati evangelii curſum hactenus retardaverant, omnino removerentur ac tollerentur, & cœtus ille, qui Deo in Pomerania colligebatur, bona fide firmaretur, & a Pontificiorum erroribus aſſereretur ac vindicaretur.

Recepta igitur Auguſtana Confeſſione, tanquam incorruptæ fidei Symbolo, ſacrorum emendatio in Comitiis Treptoviæ ad Regam anno milleſimo quingenteſimo, quarto & trigeſimo die Luciæ celebratis, (*p*) (qui annus & dies candidiſſimo notandi calculo ad omnis poſteritatis memoriam ſunt transmittendi) tandem ſancita, effectui omnino fuit mandata.

Negotium hocce conficiendum Johannis Bugenhagii, Pomerani, Witteberga quam ſua illuſtrabat doctrina in Pomeraniam vocati, dexteritati, fidei, atque prudentiæ vel ideo committebatur, quod terrarum Pomeranicarum indolem non modo haberet perſpectam atque exploratam egregie, (*q*) ſed & omnium vota & voluntates

(*o*) Conf. de iis Orat. I. Not. *ff* & ſequentibus & præcipue not *kk*.

(*p*) Acta hujus Synodi recenſet D. Cram. in der Groß. Pommr. Kirchen Chron. L. 3 C. 33. p. 89. ſeqq.

(*q*) Id quod egregie patet ex concinnata ab eo hiſtoria Pomeraniæ, quam in lucem produxit D. Jac. Hinr. Balthaſar, qui in præfixa præfatione recenſet, quod Bugenhagius juſſu Principis Bogislai omnes fere Pomeraniæ angulos perreptaverit, &

luntates in illud conſpirabant, ut Pomeranorum eccleſia purior ad rationes & faciem eccleſiæ Wittebergenſis efformaretur.

Sane Bugenhagius in æternitate famæ ſemper futurus eſt ſuperſtes, cui quippe non ſolum eccleſia Pomeraniæ, ſed Danica etiam, Brunſwicenſis, Hamburgenſis, Lubecenſis & Holſatica, formam ſuam ac faciem lætiorem & florentiorem referunt acceptam. (r)

Iisdem in Comitiis Treptovienſibus, poſtquam ſermones & conſilia diu ac ſerio fuerant collata, conſtituebatur, ut eidem Bugenhagio negotium ordinationis eccleſiaſticæ concinnandæ eſſet demandandum, quo ſic eccleſiæ Pomeranicæ contra ſuperſtitionis Pontificiæ inſultus præſidium circumponeretur validiſſimum tutiſſimumque: Quo ſuo munere etiam functus eſt Bugenhagius ſapientiſſime, hujus namque rei is erat peritiſſimus pariter & callentiſſimus; Condita igitur ab illo Ordinatio Pomeraniæ eccleſiaſtica omnium recte ſentientium ſuffragiis & conſenſu excipiebatur, & lingua Saxonibus inferioribus familiari ac patria, Wittebergæ anno ſeculi decimi ſexti trigeſimo quinto luci publicæ exponebatur. (s)

De Hadriano ſexto Pontifice Romano abiit alias in Proverbium: Ultrajectum plantavit, Lovanium rigavit, Carolus quintus incrementum dedit; Jure potiori enunciatum illud ad Ordinationem Pomeraniæ noſtræ eccleſiaſticam hoc equidem modo tranſluleris: Bugenhagius eam plantavit, Barnimus & Philippus rigavit, Deus vero incrementum dedit.

Sicuti autem hæc rerum humanarum conditio eſſe ſolet, ut nulla ſit res ardua ac momentum ſecum vehens ponderoſiſſimum, quin

& in Collegiis ac monaſteriis hiſtorias ad propoſitum ſibi finem idoneas quæſiverit & litteras inſpexerit, eaque in re totum inſumſerit biennium

(r) Pluribus hoc executus eſt D. Joh Frid. Mayerus, per totam eccleſiam Lutheranam celebratiſſimus, de Pomerania vero inſigniter meritus, peculiari Oratione: Quantum eccleſia univerſa Pomeraniæ debeat ob Johannem Bugenhagium.

(s) Titulum quem præfert exhibuimus Orat. I. Not. II. Contenta vero ejus legi poſſunt apud Cram. im Groß Pommr. Kirchen Chron. L. 3 C. 33. p. 90. ſeqq.

quin multis difficultatum nexibus implicetur; Ita & ordinationem Pomeraniæ ſacram duriora, hæcce atque iniquiora manſerunt fata, ut illa conſummanda ac perficienda, multis ac magnis difficultatibus, quibus aliqua humana ratione res explicari vix potuerit, afficeretur pariter ac affligeretur.

Non enim ſolum Abbas Campenſis, (*t*) cui hactenus Viſitatoris Generalis eccleſiæ Pomeranicæ partes fuerant impoſitæ, variis machinis eandem impugnabat, & conſilia ſua nefaria Judicii Cameralis ſupremi Spirenſis mandato fulciebat, ut mucta quinquaginta librarum argenti conſtituta, Comitiorum Treptovienſium decreta reſcinderentur,& tanta rerum ſacrarum immutatio ſiſteretur,differretur & reprimeretur.

Sed Ordines etiam hujus Provinciæ conſenſum ſuum tantiſper cohibebant, eo quod Monaſteria uſibus profanis addicenda (nam hæc ſuſtentandis ipſorum familiis hactenus egregie ſatis inſervierant) ferrent ægerrime; Partibus eorum Eraſmus Manteuffel, qui Præſulis Camminenſis dignitate fulgebat, ejusque Prælati & Canonici, nec non Straleſundenſes aliæque Civitates eminentiores ſeſe adjungebant, indeque Viſitationem in ordinatione ſacra conſtitutam ac determinatam, omnino damnabant pariter ac rejiciebant.

Qua re impulſi Straleſundenſes, nullo permittere volebant modo, ut *Johannes Frederus*, (*u*) quem ad munus Paſtoris primarii

(*t*) Conf. Anon. in der Nachricht wie es in Pommern zur Zeit der Reformation mit der allgemeinen Abſchaffung des Päbſtlichen Kirchen-Weſens bewand geweſen §. 6. p. 10. ſeqq.

(*u*) Natus erat Frederus Cöslini Pomeranorum, Patre ibidem Conſule, Anno MDX. Anno ætatis decimo quarto in Academiam Wittebergenſem miſſus, per integros undecim annos Luthero & Melanchthoni adhæſit, & non ſolum domo & menſa Lutheri uſus, ſed quoque eidem omnibusque eruditis Wittebergam illuſtrantibus, propter elegantem eruditionem & ſummam probitatem, in oculis fuit. Anno MDXXXVII. Hamburgum vocatus ut Lector ſecundarius Theologiæ in Gymnaſio Hamburgenſi eſſet, ubi quoque anno MDXL. Paſtor eccleſiæ conſtitutus. Cum vero anno MDXLVI. Chriſtianus Ketelhuth, Paſtor eccleſiæ Sundenſis Primarius diem obierit ſupremum, Senatusque Sundenſis de Succeſſore ſollicitus, ad D. Joh. Æpinum Superintendentem Hamburgenſem ea

evexerant, Ducis autoritate firmaretur, ritibusque ſacris a Johanne Knipſtrovio initiaretur.

Verum enim vero Duces Sereniſſimi, quæ illorum erat prudentia & ad regendum ſolertia, compedes quæ nectebantur perfringebant, dum a ſententia judicii Cameralis ſupremi ad Concilium generale provocabant; Ordinum vero ſuorum animos ad id flectebant, ſuo ut a propoſito, quod innuimus, deſiſtentes, ad rationes decretorum Treptovienſium deſcenderent, atque illis ſuum adjicerent calculum.

Quemadmodum vero pictores, imaginem quandam felici penicillo expreſſuri, initio eundem adumbrant, deinde autem exornant, atque ad artis ſuæ leges perficiunt; Ita & in ordinatione Pomeraniæ ſacra, ſtudio atque opera Bugenhagii concinnata, prima ſaltem Operis majoris & tandem aliquando conſummandi, ſuæque intregritati & juſtæ formæ reddendi ducebantur lineamenta. Id

de re litteras daret, ille Frederum noſtrum maximopere commendavit, qui etiam officium Paſtoris primarii Sundenſis anno MDXLVII. bonis avibus ingreſſus.

Nolo jam plura de eo addere, ſolummodo judicium appono, quod D. David Chytræus, celebratiſſimus Roſtochienſium Theologus tulit:

1) *De ejus moribus.* Mores in tota ejus vita juſtiſſimi & integerrimi, & vere ἀνέγκλητοι fuerunt. Neminem ſciens unquam læſit. Injurias & contumelias inimicorum varias & multiplices patienti & placido animo tulit. Nec transverſum unguem a Confeſſione veræ doctrinæ, aut conſtantia in propoſito honeſto, juxta vocationem ſuſcepto, propterea ſe dimoveri paſſus eſt.

2) *De ejus controverſiis.* Pie & reverenter de ordinatione Miniſtrorum, & impoſitione manuum ſenſit - - - Ritum etiam impoſitionis manuum iis in locis, ubi uſitatus eſſet, & haberi poſſit, non negligi aut contemni debere docuit. Sed de eo ſolum diſputavit: Legitime vocatos & electos ac approbatos teſtimonio Presbyterii, fungentes miniſterio, etiam ſine ritu hoc impoſitionis manuum poſſe ſalutares eccleſiæ Miniſtros eſſe, & per eorum Miniſterium vere Deum ad ſalutem omni credenti efficacem eſſe. Quæ perpetua & conſtans ejus ad mortem usque; quæ contigit ipſi Wiſmariæ anno MDLXII. die converſionis Pauli, ſententia fuit. Vid. Orario D. Chytræi de vita Joh. Frederi, habita Roſtochii die XII. Julii anno MDLXIII. Cum Succeſſor ejus in Paſtoratu Wiſmarienſi, Johannes Wigandus, Doctor Theologiæ renunciaretur. Et Conf. D. Balthaſ. Ne Samml. p. 355. ſqq.

Id quod perſpiciebat egregie D. Johannes Knipſtrovius, (w) qui primus ſplendore generalis Superintendentis Pomeraniæ occidentalis fuit conſpicuus. Poſtquam itaque Paulum a Rhoda, primum generalem Superintendentem terrarum Stettinenſium in Conſiliorum ſuorum ſocietatem aſſumpſerat, in prima illa Synodo, quæ Gryphiswaldiæ anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo die Michaelis fuit congregata, rem eo redigebat, ut agenda eccleſiaſtica, quæ ritus ac Ceremonias eccleſiarum Pomeranicarum ſtilo exhiberent prolixiori, delineanda decernerentur.

Ea igitur a Knipſtrovio & Paulo a Rhoda conſignata, Wittebergam ad Bugenhagium mittebantur, qui & illa recognita, ac conſenſu ſuo firmata, anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo typis ibidem exprimenda curavit. (x) Ea etiam in altera Synodo Gryphiswaldiæ anno milleſimo quingenteſimo tertio & quadrageſimo celebrata, die Mercurii ante Margarethæ feſtum, rata ac firma habebantur, ac diſtributa norma eſſe jubebantur, ad quam in omnibus urbibus & pagis ceremoniæ & ritus exigerentur.

Summum quoque & auctoritatis & dignitatis locum Agenda hæcce per longum temporis intervallum tuebantur. Prout agendorum Pomeranicorum, quæ anno ſeculi decimi ſexti nono & ſexageſimo in lucem exierunt publicam. Præfatio non docet ſolum (y) ſed Mevius etiam Vôlſchovius, Superintendens Pomeraniæ Generalis meritiſſimus, in aureo pietatis ſeculo, dignis ea laudibus evexit & prædicavit. (z)

Quem-

(w) Vid. D. Balth. 1ſte Samml. p. 11. 20. 22. 27. Add. D. Cram. Groß. Pommr. Kirchen Chron. L 3. C 38. f. 108. Micræl. Alt Pomm. P. 2. L. 3. p. 347.

(x) Conſtant octodecim plagulis in formam quartam complicatis, & hunc titulum gerunt: Karcken Ordening wo ſick die Parner und Seelenſorger in Vorreckinge der Sacrament, und Oevinge der Ceremonien holden ſchöhlen im Land tho Pomern. MDXLII.

(y) Paragrapho: Nadem överſt de Kercken-Ordeninge ſick etlicke mahl up de Agenda refereret, darin unſere vörige Superintendenten de Ceremonien und Ordeninge begrepen hebben &c † III.

(z) Vid. Cap. 56. p. 183. Cap. 62. p. 203.

Quemadmodum vero quælibet res in ſui perfectionem manus efflagitat medicas & auxiliatrices; Ita & perficienda Ordinatio Pomeraniæ ſacra limam adhuc poſtulavit. Quare & omnes curæ & cogitationes hanc in rem ſunt collatæ. (*aa*)

In Comitiis igitur Sedini anno Seculi decimi ſexti quinquageſimo ſexto coactis, emendatio & renovatio Ordinationis & Agendarum ſanciebatur, quippe cum illa partim defectibus laboraret, partim quoque enodatione & declaratione indigeret uberiori, in multis quoque templis vix ejus haberi amplius poſſet facultas. Ut vero negotium hoc feliciori perageretur atque urgeretur ſucceſſu, illud curæ ac fidei trium iſtorum Pomeraniæ Præſulum, Magiſtri ſcilicet (*bb*) *Pauli Rhodii*, Doctoris *Georgii Veneti*, & Doctoris *Jacobi Rungii* committebatur, qui laborum ſuorum has inierunt ac ſuſceperunt rationes, ut Paulus Rhodius negotium hoc ſua regeret prudentia, Jacobus vero Rungius ſtilum ſuum ipſi accommodaret, quæ trium intra annorum ſpatium, favente ſupremi Numinis gratia, ad exitum perducta.

Opus ipſum primo in Synodo Gryphiſvvaldenſi, anno ſeculi decimi ſexti quinquageſimo nono celebrata, deinde anno ſecuto in ſynodo Stettinenſi judicio ordins ſacri Virorum, ſuam ut de eo ferrent ſententiam, exhibebatur. Conſenſus omnium erat conſpirans, & pene conflatus (ſiquidem a Straleſundenſibus diſceſſeris) reſpondere Ordinationem iſtam effatis optimi Servatoris & Apoſtolorum, ſpondentes itaque ex illa eccleſiæ Pomeranicæ fructus uberrimos ampliſimosque,

(*aa*) Quanta ſollicitudine & quibus indefeſſis laboribus hæc renovatio & augmentatio Ordinationis eccleſiaſticæ Pomeranorum peracta fuerit, quantasque ea propter perſecutiones perpeſſus ſit D. Jacobus Rungius, videri poteſt ap. D. Cram. Groß Pomm. Kirchen Chron. L. 3. C. 57 ſeqq. f. 159 ſeqq. D. Micræl. Alt. Pomm. P. 2. L. 3. pag. 361. ſeqq. & præcipue ap. D. Balthaſ. 1ſte Samml. P. 2. pag. 161. ſeqq.

(*bb*) De Paulo Rhodio Conf. Orat. I. not. *mm*. De Jacobo Rungio Ib. not. *qq*. De Georgio Veneto vero D. Micræl. Synt. Hiſt. Eccl. L. 3. S. 2. n. 48. p. m. 946. D. Cram. Groß Pomm. Kirchen Chron. L. 3. C. 41. f. 119. C. 52. f. 149. C. 61. f. 172. C. 63. f. 176.

mosque, ea ut in lucem produceretur publicam ſummis precibus contendebant.

Quemadmodum vero res arduæ ſumma animi & conſilii maturitate ſunt circumſpiciendæ; Ita in Synodo Stettinenſi tertia, anno ſeculi decimi ſexti primo & ſexageſimo a Barnimo Duce convocata, negotium hoc etiam atque etiam conſiderabatur, ejusque rationes diligentius examinabantur. Ordines equidem Provinciales, præcipue autem Straleſundenſes, ac Theologi, de quibusdam ordinationis illius capitibus concertabant acerrime, (*cc*) ſed controverſiis iſtis maximam partem ad liquidum deductis, & rationibus omnibus, ad hanc rem quæ facere videbantur, circumſpectis, ſic ſuum tandem animum induxerunt, ut Ordinationem ſacram, ſuo exceptam aſſenſu, Barnimo Duci exhiberent, eamque publici juris faciendam precibus rogarent humillimis.

Cum vero genius iſte infernalis adverteret, quam funeſta clades & ruina regno ſuo tenebrarum ex inſtituto hoc ſaluberrimo portenderetur, ſpargendo diſcordiarum ſemina illud turbare, evertere ac diſſolvere moliebatur. Materiam ipſi ſuggerebat civitas Straleſundenſis, (*dd*) quæ ſibi temere perſuaſerat, juribus ſuis ac privilegiis hoc modo vim inferri; quare ejus Miniſtri verbi divini *M. Joh. Stüblinger*, & *M. Nic. Vick* in Synodo Gryphiſvvaldenſi reſervationem ſui juris, ac conteſtatam denuntiationem interponere jubebantur. (*ee*)

(*cc*) Capita illa ordine exſtant in D. Balthaſ 1ſten Samml. P. 2. p. 179 ſeqq.

(*dd*) Vid. D. Cram. Groß Pommr. Kirchen Chron. L. 3. C. 59. f. 165. ſeqq. Micræl. Alt. Pomm. P. 2. L. 3. p 362.

(*ee*) Notatu digna horum Virorum Confeſſio, ex qua ſtatus Miniſtrorum verbi quandoque preſſus in magnis Civitatibus dilucide apparet: Sie für ihre Perſonen müſſen bekennen, daß die verfaſſete Kirchen-Ordnung Chriſtlich und gut wäre, könten nichts darin ſtraffen noch verwerffen, hielten auch dafür, daß Sie den Kirchen würde nützlich ſeyn; und wenn Sie auſſerhalb dem Sunde, an einem andern Orte in Pommern der Kirchen im Predigtamt dieneten, wolten Sie dieſelbe neben andern gerne halten. Sie wären wohl GOttes-Diener, aber im Strahlſunde müſten Sie Menſchen dienen; Sie müſten auch ihr Weib, Kinder, Freunde und Vaterland bedencken, und zuſehen, wie Sie zum Sunde wieder in das Thor könten kommen, und darinnen bleiben ꝛc. Vid. D. Balthaſ. 1ſte Samml. P. 2. p. 167. ſeqq.

Quamvis igitur tam ſynodus Gryphiswaldenſis pœnitentiam ſenatui injungeret Straleſundenſi, (*ff*) quam Synodus etiam Stetinenſis anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo Miniſterium Sundenſe, litteris prolixius exaratis, ſerio compellaret, opinionem tamen illam, quam mente comprehenderat, ratio nulla convellere, nulla Oratio labefactare, nulla denique veritas ipſi extorquere poterant. Quin Senatus Sundenſis animi exaſperati magis ac magis inflammabantur, ac duriores acerbioresque reddebantur.

Dum vero Pomeraniæ Duces memoriæ glorioſisſimæ, ad rempublicam ſuam juvandam & ornandam, omne ſuum conſilium, omnem curam, operam atque induſtriam omnem referebant, illis, quæ Sundenſes diſerte & conceptis verbis obnuntiaverant, parum commoti, ordinationis eccleſiaſticæ promulgandæ ſeria agitabant conſilia; His igitur Senatus Sundenſis voluntas ad interceſſionem ſuam ita quidem declarandam ac mitigandam inclinabatur, (*gg*) ſeſe ordinationem eatenus eſſe admiſſurum, ut Miniſtri ſui divini iſtam de doctrina, ceremoniis & diſciplina eccleſiaſtica contentionem cum Superintendente generali componerent; Idem ille Cleri ac populi doctrinam ac mores agnoſceret, Miniſtrorum a Senatu electorum eruditionem exploraret, & inauguratione Sacerdotali interveniente ac prævia, munus ipſis imponeret.

Qui-

(*ff*) Dum communibus Synodi ſuffragiis concio ſic dicta pœnitentialis, ſtylo acriori concepta, ad Senatum Sundenſem mitteretur. Verum hæc concio multum negotii poſtea Clero faceſſivit, dum Senatus Sundenſis eam pro ſcripto famoſo & injurioſo reputaret, & publicam deprecationem Synodi & Superintendentis poſtularet; Synodus vero cum Superintendente arbitraretur, ſe in ea limites juſti elenchi non exceſſiſſe, adeoque Apologiam ejus peculiarem adornaret. Tandem tamen poſt multas diſcuſſiones & exprobrationes, in quibus Senatus ſolum Rungium pro autore & artifice ejus venditabat, res ſopita & Rungius ad adminiſtrationem officii ſui in eccleſia Sundenſi iterum admiſſus. Vid. D. Balthaſ. iſte Samml. P. 2. p. 171. ſeqq. 220. 224. ſeqq. 226. ſeqq. 229. ſeqq. 236. 241. ſeqq. 251.

(*gg*) Exhibita eſt ea declaratio in Synodo Stettinenſi anno MDLXIII. Vid. D. Balth. l. c. p. 219.

Quibus ita gestis ordinatio ecclesiastica, consilio & assensu Theologorum Wittebergensium roborata, in Comitiis Sedinensibus anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio promulgata, typis publicis Wittebergæ in forma majori exscribebatur. (*bb*) Enim vero malus ille genius, ex fraude & mendacio factus, novas iterum struebat machinas, quibus incautos deciperet eluderetque. Erant namque in Ducatu Stetinensi, qui famæ proponebant atque explicabant publicæ, ordinationem ecclesiasticam recens impressam, non convenire cum formula concepta & approbata, variaque in ea fuisse immutata. Dirum illud fulmen, quod in ordinationem ecclesiasticam erat conflatum, ut discuteretur, novus conventus Jasenizii habendus (*ii*) anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto indicebatur, quem sua præsentia reddebant illustriorem ac spectatiorem Consiliarii Ducales & Provinciales, Legati Stralesundenses ac Stetinenses, D. Jacobus Rungius & alii Theologi.

Instituta igitur collatione, amica utriusque exempli deprehendebatur consensio ac conspiratio, Ordinatio itaque præsenti suo statui relinquenda quidem esse decernebatur, attamen simul cavebatur, ut commodioris usus gratia in forma quadripartita denuo evulgaretur; Est quoque hæc editio Wittebergæ emissa, habetque in fronte præfixum annum millesimum quingentesimum sexagesimum tertium. (*kk*) Habita non multo post Synodus Stetinensis,

(*bb*) Exemplar hujus editionis possidet D. Joach. Andr. Helvigius, Director Consistorii Regii Gryphisw. gravissimus ac meritissimus, in quo multa errata typographica comparent, quæ tamen magna diligentia propria D. Jac. Rungii manu correcta.

(*ii*) Vid D. Balthas. 1ste Samml. l. c. p. 331.

(*kk*) Titulo sequenti se sistit Lectori: Kercken Ordeninge im Lande tho Pamern, dorch de Dorchlüchtigen, Hochgebahren Förſten unde Herren, Herrn Barnim, unde Herrn Philipen, Hochlöfflicker Gedachtniß, beide Hertogen tho Stettin Pàmern, der Cassuben unde Wenden, Förſten tho Rügen, unde Graven tho Gützkow, ꝛc. anvenglich up dem Landdage tho Trepton Anno MDXXXV. geslaten.

nenſis, quæ Sacramentariorum doctrinæ ac dolis medicinam erat paratura, Principes decenter admonuit, ut ordinationem, pie conſcriptam, ſerio & valide tuerentur, nec permitterent, ut vel ſacri vel profani Ordinis homines ſuam ſæviendi libidinem in illam effunderent. Cum res hæc, quæ tot obſtructa fuerat difficultatibus & impedimentis, præcaventibus ita fatis ex ſententia eveniſſet & confecta eſſet, omnium quoque mentes ad ſananda Agenda Eccleſiaſtica convertebantur. (*ll*) Eo igitur conſilio Synodus Campi congregabatur, quæ & rem factis jungendam eſſe ducebat conſultum. Quippe cum agenda anno quadrageſimo ſecundo impreſſa, multis in templis injuria temporum aut omnino interciderent, aut in partes eſſent lacerata.

Negotium hoc maturo regendum conſilio, Viris a rerum ſacrarum notitia & prudentia commendatiſſimis concordibus ſuffragiis imponebatur, ac decreto ſanciebatur, ut Mag. Jac. Cruſius cum Miniſtris Gryphiswaldenſibus, D. Dionyſius Gerſon Paſtor Wolgaſtanus cum Miniſtris illius loci, M. Joh. Soldeche Paſtor Bardenſis, M. Mich. Eggard Paſtor Anclamenſis, ſuam proponerent ſententiam, florumque ex aliarum terrarum Ordinationibus atque Agendis decerptorum, Generali Superintendenti facerent copiam, ut ex illis, in conſilium tamen vocatis Gryphiswaldenſibus Miniſtris, formulam quandam Agendorum cogeret, quæque, typis antequam traderetur, cum Paſtoribus Straleſundenſi, Gryphiswaldenſi, Wolgaſtano & Anclamenſi communicaretur; Simul quoque erat ſtatutum, in conſultationis hujus ſocietatem, Superintendentem & Paſtores præci-

puos

ſtaten. Unde itzund verner dorch de Dorchlüchtigen Hochgebahrnen Förſten unde Herren, Herrn Barnim den öldern, Herrn Johan Fridrichen, Herrn Bugslaſſen, Herrn Ernſt Ludwig, Herrn Barnim den Jüngern, unde Herrn Caſimiren, Geveddern unde Gebröder, Hertogen tho Stettin Pamern ꝛc. up Radt der Theologen unde Bewilligunge der Land-Stände vornyet unde vormeret anno MDLXIII.

(*ll*) Hæc prolixius evoluta legi poſſunt apud D. Balthaſ. 1ſte Samml. l. c pag. 234. ſeqq.

puos Ducatus Stettinenſis, nec non Epiſcopatus Camminenſis, eſſe admittendos.

Poſtquam igitur Paſtores, quos diximus, mentem ſuam D. Jacobo Rungio aperuerant, ſummam is efflagitare neceſsitatem cenſebat, (res enim multas habebat cautiones) ut Superintendens Stettinenſis aliique Paſtores ac Theologi, ex utroque Ducatu delecti, adornandis & ſcripto comprehendendis agendis eccleſiaſticis eſſent præſentes. Illi igitur anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto Principum mandato Sedinum ſunt convocati, (*mm*) ac juſſi, ut non prius inde diſcederent, quam agendis ultima impoſita manus, ac prima eorum delineatio Ducibus Stetinenſi & Wolgaſtano fuiſſet oblata, quo Paſtores utriusque Ducatus Primarii, de iis ſuam edicerent atque pronunciarent ſententiam: Synodo igitur Sedini congregatæ D. Jacobus Rungius poſuit exemplar illud manuſcriptum, quod e communicatis ſecum obſervationibus notatu dignioribus congeſſerat. Idem & dedita opera excuſſum & perluſtratum aſſenſu omnium firmabatur. Fuit & ſimul actum & ſtatutum, quomodo Litaniæ, Collectæ, Cantus, Præfationes in officio miſſæ, Exhortationes ad illos, qui ſacro epulo ſeſe vellent recreare, eſſent ordinandæ, quæque ordinis ratio dierum ſolemniorum ac feſtorum, Evangeliorum, Epiſtolarum, per totius anni curſum deberet ſervari.

Multis interim hoc movebat ſuſpicionem, qua re impulſus D. Jacobus Rungius Confeſsionem eccleſiæ Pomeraniæ, de vera præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento Cœnæ, interveniente Cantico iſto: *O ſacrum convivium &c.* agendis inſeruiſſet. (*nn*) Tandem vero fuit decretum, ut exemplum Agendorum

(*mm*) Vid. D. Balthaſ. 1ſte Samml. l. c. p. 272. ſeqq.

(*nn*) Factum hoc eſſe propter Politicos quosdam, in Aula & Civitatibus præſtantioribus degentes, qui clam Sectæ Calvinianorum favebant, eamque promovere ſtudebant, haud improbabiliter colligi poſſe videtur ex hac Synodi querela:

Ducibus offerretur, iidemque rogarentur humillime, ut in utroque Ducatu Synodos habendas indicerent, mentem ſuam de illis expoſituras.

Eſt quoque in Synodo Wolgaſtienſi, anno ſeculi decimi ſexti ſeptimo & ſexageſimo celebrata (*oo*) formula agendorum publice recitata, toto animo & ſtudio expenſa, menteque fere una ac voce una, a Magiſtro etiam Jacobo Cruſio, Profeſſore Theologiæ Gryphiswaldenſi ac Paſtore Mariano, comprobata. In quibusdam tamen capitibus Miniſtri eccleſiæ Sundenſis, puta D. Petrus Nunnecke & Magiſter Jonas Staude a reliquis fecerunt ſeceſſum, (*pp*) quod ſcilicet propter execrationem & devotionem publicam & pœnitentiam, caſus & perſonæ foro ſacro debeant relinqui, ſacerdotesque in officio miſſæ Stola Pontificiali vulgo **Meß-Gewand** eſſent induendi.

Ut autem voluntatibus conjunctis ac vi majori negotium hoc terminaretur ac conſummaretur, anno milleſimo quingenteſimo octavo & ſexageſimo Conventus denuo Sedini habebatur, (*qq*) ac formula Agendorum, eodem quo Wolgaſti modo prælecta, ratione & animo luſtrata, concordique animo roborata, a Duce ritibus ſolennibus promulgabatur, adjecto mandato, ut Agenda una cum Ordinatione ſacra typis eſſent tradenda. D. Jacobus Rungius etiam jubebatur eodem menſe Wittebergam ſeſe conferre, impreſ-

Es ſey am Tage, und unlaugbahr, daß viele weltliche Perſohnen, ſonderlich die ſtudiret haben, ohne Scheu vom H. Sacrament und allerley Opinionen, wider reine Lehre und gute Ordnung in unſern Kirchen diſputiren, mit Verunglimpffung der Prediger und des gantzen Miniſterii &c. Vid. D. Balthaſ. 1ſte Samml. l. c. pag. 278. 291.

(*oo*) Vid. D. Balthaſ. 1ſte Samml. l. c. p. 289. ſeqq.

(*pp*) Vid. D. Balthaſ. 1ſte Samml. l. c. p. 294.

(*qq*) Vid. D. Balthaſ. 1ſte Samml. l. c. p. 296. ſeqq.

impresſionis illius curam peracturus ſuſcepturusque, & hanc ſui muneris menſuram juſte adimplevit. (*rr*)

His geſtis Agenda quidem eccleſiaſtica totam per Pomeraniam diſtribuebantur. Verum enim vero nova iterum eademque graviſſima erumpebat tempeſtas, (*ss*) dum Agenda iisdem premebantur fatis diriſſimis, quibus Ordinatio ſacra typis divulgata fuerat expoſita. Fama namque cœperat manare, Agenda iſta eſſe corrupta & deformata, erroribus Pontificiis, aliisque, quæ a veritate cœleſti aberrarent & aliena eſſent, conſcientiam graviter vulnerarent, & judiciis civilibus fraudi eſſent ac damno. (*tt*) Multi, quibus mens erat ſanior, incredibili exardeſcebant dolore, atque illi, qui in aulis primum dignitatis tenebant locum, in eas conjiciebantur anguſtias, ut animus hæreret ac fluctuaret, nunc huc nunc illuc diviſus, inque varias raptus partes.

Ut hoſtium igitur Conſilia anticiparentur, tela eorum manibus extorquerentur, tempora occuparentur ac malorum præverterentur occaſiones, D. Jacobus Rungius demiſſis a Duce contendebat precibus, ut Superintendentes & primi ordinis Paſtores, ex urbe Straleſundia, Sedino, Stargardia & Wolgaſto convocaret, illisque Conſiliarios nonnullos aulicos adjungeret, ut Agenda ab iis

(*rr*) Titulus ipſis ſequens præfixus: Agenda, dat is, Ordning der hilligen Kercken Empter unde Ceremonien, wo ſick de Parrherren, Seelſorger unde Kerckendenere in eren Ampte holden ſchölen, geſtellet vor de Kercken in Pamern, up Befeyl der Dorchlüchtigen, Hochgebahrnen Förſten unde Herren, Herrn Barnim des öldern, Herrn Johan Friderichen, Herrn Bugslaſſen, Herrn Ernſt Ludwigen, Herrn Barnim des jüngern, unde Herrn Caſimiren, Geveddern unde Gebröder, Hertogen tho Stettin Pamern, der Caſſuben unde Wenden, Förſten tho Rügen, unde Graven tho Gützkow ꝛc. Anno MDLXVIII. S. Paul. 1. Cor. XIIII. Holdet alle Ding ehrlich unde ordentlich in der Gemeine. Epheſ. IIII. Weſet flitich tho holdende de Einicheit im Geiſte dorch den Band des Fredes. Anno MDLXIX.

(*ss*) Vid. D. Balthaſ. aſte Samml. l. c. p. 298. ſeqq.

(*tt*) Errores illi Agendis imputati ordine evolvi poſſunt apud D. Balthaſ. l. c. p. 301. ſeqq.

iis cognoſcerentur, atque omnia, quæ Adverſarii in ſuſpicionem adduxiſſent, curatius ſub examen vocarentur. Quibus omnibus in Synodo Stettinenſi, anno milleſimo quingenteſimo ſecundo & ſeptuageſimo rite peractis, inſtitutaque ſedula collatione, Dux implorabatur, ut Agenda valido tegeret præſidio, nec fidem adhiberet calumniis, quas modo commemoravimus. Atque ſic juſta cauſa erat ſuperior, vicerat ac turbaverat hoſtium inſidias auſu nefario comparatas; Omnio ſic odia eſſe depoſita, ac pacis diuturnæ tempora illuxiſſe videbantur.

Verum enim vero terrores lætitiam otii, vix adhuc animis conceptam, cito iterum diſcuſſerant. Nubes enim exoriebatur, quæ ſerenum ac fortunatum tempus quamdiu obſcuravit. Ille enim, qui agendis inſignia laudis antea condiderat ac collocaverat encomia, dente jam Canino in illa furebat. Poſtquam ſcilicet Magiſter *Jacobus Cruſius* (*uu*) Gryphiswaldiam cum Straleſundia commutaverat, muneri Paſtoris Primarii ibidem admotus, novos concitabat fluctus ac præcipua ordinationis eccleſiaſticæ capita, *de Superintendente generali*, *Jure Patronatus*, *ordinatione & inſtitutione Paſtorum*, *de Synodis*, *Conſiſtoriis*, *Ceremoniis*, *poteſtate Magiſtratus circa ſacra*, impugnabat ac damnabat, (*ww*) nullis rationibus ac monitis ſua de ſententia ſeſe dimoveri paſſus.

Cum

(*uu*) Fuerat is per ſexennium Duci Wolgaſtano a Concionibus Aulicis, & poſtea per ſeptennium in Miniſterio & univerſitate Gryphiswaldenſi vices Profeſſoris Philoſophiæ moralis, & Profeſſoris Theologiæ, ut & Paſtoris ad ædem D. Mariæ conſecratam egregia cum laude adminiſtraverat. Anno vere MDLXX. Sundium ad Paſtoratum primarium obeundum vocatus, & die Philippi Jacobi a D. Jac. Rungio introductus. Vid. Cram. Groß Pommr. Kirchen Chron. L. 3. C. 64. f. 182. qui etiam L. 4. C. 6. f. 25. 26. Fata hujus Viri, & miſerabilem ejus exitum ex caduca hac rerum mortalitate recenſet. Conf. D. Balthaſ. 2te Samml. P. 2. p. 434.

(*ww*) Hiſtoriam hujus controverſiæ evolve apud Cram. l. c. L. 3. C. 66. f. 190. L. 4. C. 1. f. 2. ſeqq. C. 4. f. 14. ſeqq. C. 6. f. 25. C. 16. f. 57. Micræl. Alt. Pomm. L. 3. P. 2. §. 34. p. 386. D. Balthaſ. 1ſte Samml. p. 322. ſeqq. 371. ſqq.

Cum igitur interea temporis Senatus Sundenſis invita ordinatione eccleſiaſtica forum ſacrum ſua in urbe conſtituiſſet, ac Cruſium ad Superintendentis faſtigium evexiſſet, non ſolum Dux Pomeraniæ anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto illud graviter interdixit, ſed Cruſium quoque monuit & exhortatus eſt, ne peſtilenti illo ſidere ſe afflari in poſterum ſineret, quin omnes muneris ſui partes ex præſcripto Ordinationis eccleſiaſticæ perageret. Cum vero mandato huic animum rebellem ac refractarium obverteret, Synodus quidem tam Gryphiswaldenſis & Stettinenſis, quam Conſiliarii Ducales & alii Theologi, eum ad meliora & ſaniora Conſilia revocandum, ſubjicere mandato Principis, & eccleſiam eccleſiæ jungere iterum tentabant; Cœterum ingenium ejus multiplex & tortuoſum nullis flecti poterat rationibus, quin eo progrediebatur audaciæ, ut non modo theſes ſuas, ſed ſcriptum quoddam peculiare de regimine eccleſiaſtico typis divulgaret & in vulgus ſpargeret, (*xx*) id quod animum Erneſti Ludovici, Ducis Wolgaſtani, commovebat adeo & accendebat, ut Senatui Sundenſi (niſi hic in odium atque offenſionem Principis vellet incurrere) Virum huncce ad omnia turbanda miſcenda impugnanda & invertenda natum & factum, munere ſuo movendum ac dejiciendum injungeret. Equidem variis in locis, maxime autem in Holſatia, ad munus aliquod impetrandum anxius adſpirabat Cruſius, ſed nullibi invenit ubi ſedem poneret fixam, usque dum tandem Ribnitii domicilium conſtitueret, ibidemque ſtrenua cum paupertate colluctatus, turbas & odia una cum vita deponeret.

ſeqq. 392. ſeqq. 546. 555. ſeqq. Et 2te Samml. p. 458. ſeqq. 492. ſeqq. 518. ſeqq. 531. ſeqq. 559. ſeqq. 565.

(*xx*) Locum impreſſionis mentitur Urſel MDLXXXV. Titulum vero hunc præfert: Kirchen-Regiment und Kirchen-Ordnung von GOtt geſtifftet, nach geſunder Lehre unſerer Zeit Symbolorum und Patrum, wider D. Jacob. Rungen ſeine Papiſtiſche und falſche Gegen-Lehr von genandten beiden Stücken: Samt etlichen Urſachen, warum das erſte von GOtt ſey, das Rungiſche aber nicht. Conf. D. Balthaſ. 1ſte Samml. p. 2. p. 546. & 2te Samml. P. 2. p. 559. ſeqq. ubi contenta hujus libri prolixe & accurate recenſet.

Tantæ igitur erat molis liturgiam condere Pomeranicam.

Ut vero Duces Pomeraniæ Sereniſſimi, id quod ſtudium eorum erat intenſiſſimum, vigilandi & excubandi ad ſalutem Pomeraniæ, ordinationis ſacræ & Agendorum innocentiæ, præſertim cum & Calvinianorum errores obſcure ſerpentes Pomeraniam occupaſſent, in calamitoſa iſta fama, quaſi in perniciosiſſima, flammæ & incendu inpoſterum occurrerent, omnesque caſus ancipites ab iis arcerent, ſtatuebant inter alia, ut in ipſa Pomerania Ordinatio & Agenda eſſent imprimenda, ne manibus falſariorum læderentur. Studio igitur curatiori adhibito, ordinatio ſacra anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo Stettini in forma quater complicata typis ita quidem fuit repetita, ut ultimæ editionis Wittebergenſis plagulis & verbis eadem reſponderet.

Suam iſtam integritatem tum Ordinatio tum Agenda eccleſiaſtica retinuerunt, usque ad luctuoſum illud tempus, quo flammæ belli funeſtisſimi tricennalis, omnem fere per Germaniam latius diffuſæ, Pomeraniam quoque corripiebant ac miſere vaſtabant, adeo, ut multis etiam in locis cultus Dei externus deformaretur, concuteretur, labefactaretur atque turbaretur.

Poſtquam vero Deo rem ita dirigente, Principes irati & in armorum ſtudia incitati, tandem vero belli mole feſſi, laſſati & exhauſti, in amicas pacis Weſtphalicæ leges, anno ſeculi decimi ſexti quadrageſimo octavo deſcenderant, & Pomerania, cum interea temporis, quo belli furore cuncta ardebant, Arbor Sereniſſimæ gentis Pomeranicæ in Bogislao XIV. anno MDC XXXVII. exaruiſſet, imperio Suedico fuerat aſſerta.

Illi quidem, quibus ſumma rerum a ſacra Regia Majeſtate Suecica erat demandata, animum quoque convertebant ad rem Pomeraniæ ſacram, quæ temporum injuria fuerat convulſa, reſtituendam ſtabiliendamque. Cum & inter alia Ordinationis eccleſiaſticæ exempla, partim diſtracta, lacerata partim eſſent, ut eorum vix copia haberetur, anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo

in

in lucem denuo Sedini ita quidem prodire jussa est, ut Agenda illi non adjungerentur. (*yy*)

Hanc faciem eadem præ sese tulit usque ad annum millesimum sexcentesimum octuagesimum primum, quo certis e Suecia delegatis cognitio rerum Pomeranicarum erat commissa ac demandata. Ad hos ordo etiam sacer confugiebat. (*zz*) Rebusque suis dubiis consulturus, ea qua fas erat religione efflagitabat, ut inopiam ac defectum exemplorum Ordinationis atque Agendorum nova editione solarentur pariter ac profligarent.

Rebus igitur omnibus probe circumspectis, non modo delegati in consiliorum societatem coibant cum Regimine regio illustri atque Ordinibus Provincialibus, sed & desideria ista Carolo undecimo Regi memoriæ glorioſissimæ exponebant, qui & negotium hocce sua auctoritate ac voluntate indulgentissima firmum habebat ac ratum.

Ut vero illud omni ex parte perficerentur, de variis ante fuit deliberatum.

Ita enim agitabantur consilia: *Numne expediret, ut ordinatio in superioris Saxoniæ linguam funderetur?* Id quod ut summa animi ac Consilii maturitate susciperetur, judicium D. Danielis Kanstorffii Præpositi Synodi Stettinensis, & Pastoris ad ædem collegiatam quæ Sedini divæ Mariæ est sacra, requirebatur. (*aaa*)

(*yy*) Titulus idem est cum titulo Ordinationis de anno MDLXIII. not. *kk.* notato, nisi quod in fine additum: Vnde itzund up Erer Kön. Maytt. tho Schweden ꝛc. ꝛc. ꝛc. Hochlöfflicken Gouvernements in Pamern Anordeninge unde Befehlinge uppet nye gedrücket. Olden Stettin, bey Johann Valentin Rheten im Jahr 1661. in forma quarta.

(*zz*) Sequentia mecum communicavit D. Balthasar Bleccius, Pastor Nicolaitanus Sedinensis meritissimus, in litteris ad me datis anno MDCCXIV. die vigesimo Octavo Aprilis, cui eo major fides debetur, quia hoc tempore jam in Ministerio fuit, adeoque consultationibus de hoc negotio præsens, & testis oculatus.

(*aaa*) Scriptum est illud Sedini 1688. die vigesimo quarto Januarii.

Quod vel eo mireris nomine, cum Theologi Lutherani conjunctis quasi Sententiis contra Pontificiorum errorem adstruant, Codicem sacrum in quamcunque linguam jure optimo & fide ex bona posse converti: Quibus & aliis impulsus rationibus vertendam Ordinationem una cum agendis suasit, & ita quidem probavit, ut lingua Saxoniæ inferioris non omnino esset posthabenda, sed lingua linguæ ex adverso jungeretur, cui consilio eventus etiam respondit. (*bbb*)

Fuit & quæstio proposita: *Num ordinationi quoque nonnullæ luminis clarioris gratia, ac quædam mutationes deberent adjici? An vero eadem priori suo statui atque integritati relicta, in linguis Saxoniæ infe-*

(*bbb*) Rationes ejus sunt sequentes:

1) Weil diese Uebersetzung auf dem grossen Landtag 1681. von allen Land-Ständen einmüthig beliebet.
2) Weil dieselbe von denen Hinterpommerischen Land-Ständen, nachdem ihnen davon Nachricht gegeben, gut befunden und gelobet.
3) Weil dieselbe nicht nur zum priesterlichen Amte, sondern auch zum Gebrauch der Königlichen Regierung, Herren Land-Stände, im Consistorio, Hof-Gericht und allen davon dependirenden Collegiis sehr bequem.
4) Weil zwar die Indigenæ nach der Billigkeit und Königlichen Versicherung in allen Collegiis zu erst anzusehen, doch Fremde nicht gar könten ausgeschlossen werden; Diese aber das Pommerische nicht einmahl lesen, vielweniger verstehen könten; Jene aber ihre Mutter Sprache auch fast gar verlernet, und viele Wörter und Redens-Arten ihnen unbekand, und deßfalls in ihrem Amte mercklich behindert würden.
5) Weil schon vor so vielen Jahren der Catechismus, das Trau- Communion-Büchlein, Forma Ordinationis, Institutionis, Confirmationis, Articuli visitatorii, die Collecten, Gesänge, und also ein groß Stück von diesem Buche ins hoch Teutsche übersetzet und gebrauchet worden.
6) Weil die Kirchen Ordnung zwar billig in der Pommerischen Sprache zu lassen, so lange dieselbige im gantzen Lande gebräuchlich, und darin gepredigt und der Gottesdienst verrichtet ward; Nachdem aber diese Sprache gantz in Abnehmen kommen, der Gottesdienst auch im gantzen Lande in hochteutscher Sprache verrichtet werde; so habe man gar kein Bedencken auch die Kirchen-Ordnung in diese Sprache zu übersetzen.
7) Weil die Kirchen-Ordnung anzusehen, als publica & specialis doctrinæ, vitæ & Ceremoniarum confessio, mit welcher man keine Scheu tragen dürffe, so, wie mit den communibus ecclesiæ Lutheranæ Symbolis & Confessionibus zu verfahren, welche ohne Bedencken in andere Sprachen übersetzet.

inferioris & superioris typis esset exscribenda? Posterius quidem D. Daniel Kanstorffius, (*ccc*) Prius vero D. Conradus Tiburtius Rango, (*ddd*) qui tunc temporis Sedini munus Pastoris ad ædem divi Nicolai sustinebat, postmodum vero ad dignitatem Præsulis Pomeraniæ ac Rugiæ perducebatur, ivit assertum. Enimvero rejecta hujus sententia, in illius rationes Regiminis regii Consiliarii & Ordines Provinciales ibant, precibus imprimis Ordinum Provincialium Pomeraniæ ulterioris impulsi, quippe qui tentatam ac susceptam immutationem discriminis plenam reputabant. Posthæc varia etiam de hoc sunt jactata variis Sermonibus: *Cujusnam fidei & dexteritati negotium Ordinationis una cum Agendis convertendæ esset dandum?* (*eee*) Initio quidem a regimine regio eidem destinabatur D. *Augustinus Balthasar*, cujus prudentia in gerendo exornandoque generalis Superin-

(*ccc*) D. Kansdoffii rationes erant:

1) Weil diese Erklährung schon längsten geschehen durch das Bekäntniß und Lehre der Kirchen in Pommern, so zu alten Stettin im Jahr 1593. in quarto publiciret.

2) Weil die zweiffelhafften Redens-Arten sich selbst erklähren, wenn man nur, wie es billig und die Hermenevtica erfordert, den Contextum & Scopum wohl ansehe.

(3) Weil auswärtige Theologi, in dem Zustande, wie sie sich befindet, solche approbiret und gerühmet v. g. die Theologische Facultät zu Wittenberg in dem gründlichen Beweiß in Testimoniis pag. 166.

(*ddd*) D. Rango his nitebatur fundamentis:

1) Weil in der Kirchen-Ordnung das Pommerische Corpus doctrinæ recommendiret, imgleichen Philippi Melanchthonis Loci Communes und andere Schrifften, worinnen doch viel Irthümer enthalten, welche von rechtschaffenen Theologen jederzeit verworffen.

2) Weil die Lehre in der Kirchen-Ordnung nach diesem Corpore doctrinæ Pomeranico, und den Schrifften Philippi Melanchthonis eingerichtet.

3) Weil die Gesänge in der Agenda sich öffters zu dem Evangelio nicht reimeten.

Scriptum hoc Rangonis judicium Sedini 1687. die primo Martii.

(*eee*) Hæc iterum debeo fidei D. Balthas. Bleccii in litteris antea sub not. *zz.* citatis.

perintendentis munere eam circætarema erat eminentisſima. Quoniam vero Ordinatio ſacra typis Stetinenſibus erat excudenda, injunctas ſibi partes modeſte declinabat, docens Regimen regium, ſatius fore, ac rei huic conſuli poſſe tutius, ſi ejus cura in quodam Ordinis ſacri Stettinenſis Viro reponeretur. Rationum iſtarum pondera Conſiliariorum Regiminis animos ad *Fridericum Fabricium*, tunc temporis Diaconum, dehinc vero Doctorem Theologiæ, & Paſtorem ad ædem quæ divo Nicolao eſt ſacrata, & *Heinricum Reineccium* Paſtorem ad Petri & Pauli ædem, inclinabant & flectebantur: Qui & negotii hujus partes laude dignas animo volenti lubentisſimoque exceptas, tota mente atque omni cura, opera & induſtria impleverunt.

Poſtquam illi verſionem Ordinationis Senatui ſacro Gryphiswaldenſi, quem ea ætate ex Theologorum ordine D. *Auguſtinus Balthaſar* Præſul Pomeraniæ ac Rugiæ, D. *Jacobus Henningius*, Profeſſor Theologiæ & Paſtor ad ædem divi Jacobi; D. *Nicolaus Daſſovius*, Profeſſor Theologiæ & Paſtor ad ædem divæ Mariæ; Ex Politicorum vero Collegio D. *Fridericus Gerdeſius*, Senatus hujus Director & Profeſſor Juris, & D. *Petrus Maſcovius* Profeſſor Juris illuſtrabant, ad ſuæ cenſuræ rationem ac normam redigendam commiſerant. (*fff*) Hi quidem ſingulas per ſeptimanas duabus horis pomeridianis ad modum Collegii congregati, verſionem quanto fieri potuit ſtudio recognoſcebant, recognitamque Regimini regio reſtituebant.

Quibus ita geſtis nova conferebantur Conſilia: *Numne Ordinationi ſacræ & Agendis alia adhuc ſcripta Pomeranica eſſent addenda?*

(*fff*) Hæc mecum benevole communicavit Vir de civitate Gryphiswaldenſi meritiſſimus, & dum viveret multis modis favorem ſuum mihi exhibens, Dn. Martinus Droyſe, Conſul iſtius Civitatis digniſſimus, qui revifioni huic præſens ſemper adfuit, tanquam Secretarius tunc temporis Conſiſtorii Regii Gryphiswaldenſis: Interprete filio juniore, in Conſulatu Patris ſucceſſore mihique Amiciſſimo, Domino Jacobo Droyſero in litteris ad me datis anno 1714. die vigeſimo ſexto Aprilis.

da? ad majorem ipſis autoritatem conciliandam. Equidem Regimen regium, Ordines Provinciales, atque Theologi Pomeraniæ Suecicæ, ſtatutum habebant atque deliberatum, Regisque Caroli undecimi voluntate jam erat ſancitum, ut *Leges Præpoſitorum*, *Statuta Synodica*, **Bekentniß und Lehre der Kirchen in Pommern,** *nec non liber Concordiæ*, in unum collecta faſciculum, Ordinationi atque libro, in quo continetur ratio divini officii, aſſociarentur.

At enim vero Pomeraniæ ulterioris Ordines Provinciales, nec non munerum ſacrorum Viri, precibus ſuis, ne hoc fieret, impetrarunt, veriti, ne variæ inde ſibi crearentur moleſtiæ, uſuſque ordinationis hujus ſibi omnino interdiceretur. Huic malo ut præſcinderetur occaſio, in adjungendis tantum legibus Præpoſitorum & Statutis Synodicis acquieſcebatur.

Eſt tamen hic culpa quædam commiſſa, quod ſcilicet in locum genuinarum illarum legum Præpoſitorum, quæ ab ordinibus Provincialibus conſenſu munitæ, & a Regimine regio Suedico Gryphiſwaldiæ anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto juris publici in forma quadripartita factæ fuerant, aliæ ſint ſubſtitutæ ac ſurrogatæ, qua de re Ordines Provinciales non una vice querelas duxerant graviores.

Interim vero probe eſt advertendum, quod in Edicto regio, ordinationi ſacræ præfixo, eccleſia Pomeraniæ Suedicæ fuerit adſtricta *Confeſſioni Eccleſiæ Pomeranicæ*, prout ea in ſynodo Stettinenſi Anno MDXCIII. eſt repetita, nec non *Formulæ Concordiæ*, tanquam incorruptæ fidei Symbolis, atque adeo & poſterior publica Regis autoritate rationem libri Symbolici in Pomerania ſuſtinere ſit juſſa. Quamvis igitur negotium hoc, eo quo diximus modo, anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo octavo fuerit ordinatum, impreſſionem tamen ipſam & crebrius cum Ordinibus ſociata conſilia, maxime autem mors acerba D. Auguſtini Balthaſaris, ſumptusque quos opus hocce efflagitabat colligendi,

colligendi, in annum usque milleſimum ſexcenteſimum nonageſimum protrahebant ac conjiciebant. (*ggg*)

Quemadmodum vero hoſtis ille humani generis infenſiſſimus, nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem ſtatu relinquit, ita & poſt elapſos decem annos qui ſecure erant tranſacti, nova inter concordantes hactenus odia callide inſtruebat, ac veluti claſſicum canens, malum diſcordiæ mittebat.

Poſtquam enim voluntas Caroli duodecimi indulgentisſima, Doctorem Johannem Fridericum Mayerum, virum qua Muſarum Orbis patet celeberrimum, muneri Præſulis Pomeraniæ ac Rugiæ anno milleſimo ſeptingenteſimo primo præpoſuerat, hicque anni ſecuti die decima ſeptima Maji in Synodo Præpoſitorum generali Sedini congregata, varia, quæ ad cultum externum emendandum collineabant, propoſuerat, quidam ſuppreſſo nomine divulgabat: **Die von** D. **Johann Friedrich Mayern neu verbeſſerte Kirchen-Ordnung, wornach ſich die Herren Prediger im Hertzogthum Pommern hinführo zu verhalten, in Stettin vorgetragen den** 17. May. 1702.

Sane ſcriptum hoc forma quadripartita complicatum, unaque tantum plagula conſtans, quod Gryphiswaldiam tanquam impreſſionis locum mentiebatur in fronte, diſcordiam inter Ordines Provinciales & Doctorem Mayerum ſerere omnino potuiſſet. Nam quamvis Collectores recenſionum innocuarum (*bbb*) inde repetant argumentum pii ſtudii, quo D. Mayerus adductus eccleſiam Pomeraniæ conſtituere voluerit, cauſati præterea Mandatum Regis, quo ille

(*ggg*) Hoc anno prodiit forma majori, eodem titulo conſpicua, quo editio de anno MDLXIII. nota }*kk*. Niſi quod locus impreſſionis, & nomen typographi additum, olden Stettin, druckt und verlegt idt Fridrich Ludwich Rhete, Koningl. Boeckdrücker anno 1690.

(*hhh*) Unſch. Nachr. 1702. Sont. 28. p. 657.

ille instructus Ordinationem illam promulgasset; Secus tamen sese res habebat, dum Ordines Provinciales hoc instituto non parum commoti, Oratoris sui Pomeraniæ publici, Domini Consiliarii Aexandri Carocii voce declarabant, tentatam illam mutationem juribus provincialibus vim inferre manifestam. Cum vero D. Mayerus Deum hominesque testaretur, notitiam scripti hujus disseminati a se non solum abesse longissime, nec criminis hujus, a quo toto abhorreret animo, conscientia se constrictum teneri, (*iii*) sed in programmate etiam solenni de facie Stephani angelica ab ipso tum temporis Academiæ Rectore anno eodem die Michaelis promulgato animi indignationem faceret testatam, (*kkk*) imminens empestas sedabatur, adeo ut nulla perturbatio, nullus tumultus cœtum Pomeraniæ sacrum turbaret atque infestaret, nec quidquam Ordinationi ecclesiasticæ derogaretur. Ut porro falsam istam famam suo a nomine repelleret, Stettinensibus relationibus publicis anno MDCCIII. die decimo quarto Aprilis publicatis, innocentiæ suæ testimonium inserendum curavit. (*lll*)

(*iii*) Id quod declarabat D. Jacobo Balthasari, tunc temporis Syndico civitatis Gryphiswaldensis multis meritis inclyto, postea vero Consiliario regiminis Ducis Megapolitini splendidissimo, qui amœbæas ea de re cum Carrocio litteras commutabat.

(*kkk*) Hisce quidem verbis: Ego hoc programmate, in alma Gryphica, inter occupationes infinitas ferme & molestias, quas tenebrio quidam vivumque Satanæ mancipium, infamis homo mihi creavit, infami illo titulo scripti diaboli artibus typis publicis editi atque impressi: Der verbesserten Kirchen-Ordnung, quem scelestissimum hominem in lucem protrahet, pœnamque poscet scelere dignam justissimus Vindex. Quid? inter prolixas credite lachrymas scripto, viam monstro, reliqua.

(*lll*) His conceptum verbis: Es ist vor einiger Zeit eine Schrifft unter dem Titul: Joh. Frid. Mayers neu verbesserte Kirchen-Ordnung, durch den Druck heraus gekommen. Wenn nun solcher Titul von übel intentionirten Leuten, einem niemahls publica autoritate approbirten Wercke vorgesetzet worden, und ob es gleich davor ausgegeben werden wollen, ob wäre derselbe in Greiffswald gedruckt;

Nec ſcriptum illud D. T. B. (h. e. Doctoris Thomæ Bahrii, Præpoſiti Paſewalcenſis) hoc inſignitum nomine: Nachſinnige Erörterung: Ob eine eintzige geiſtliche Perſon, welche andern vorgeſetzet, über dem, was in dem allgemeinen, und bißher im Gebrauch geweſenen Kirchen-Statutis geordnet, neue Ceremonien oder neue Anordnungen des Gottesdienſtes, entweder ſelbſt introduciren, oder auch allein ſummo Epiſcopo in Vorſchlag bringen, und deſſen Approbation darüber ſuchen mag, ohne vorher geflogenen Rath, und gehaltene Rückſprache mit den andern Geiſtlichen, quod eadem evolabat ætate, fluctus quosdam concitavit.

Cum denique anno hujus ſeculi undecimo ac ſecutis Pomerania motibus belli gravioribus concuteretur, & furor iſtius in multorum templorum Ordinationes ſacras ita ſæviret, ut his interitus pararetur, præterea etiam illarum exempla e tabernis librariis exularent & rarius conſpicerentur, annuente illuſtriſſimo regimine, & procurante ſumptusque ſuppeditante ſolertiſſimo Bibliopola Gryphiswaldenſi Dn. Jacobo Löfflero, ſeculi hujus anno primo & trigeſimo, nova denuo curata eſt editio, in qua tamen hoc deſideratur, quod paginæ editionis prioris paginis non reſpon-

druckt; So iſt doch bei geſchehener Nachfrage ſolches noch zur Zeit falſch befunden worden; Daher hiemit kund gemachet wird, daß man allhie im Lande von keiner ſolchen neu verbeſſerten Kirchen-Ordnung wiſſe, noch dieſelbe agnoſcire und erkenne. Wie denn D. Mayer denſelben für einen infamen Buben öffentlich declariret wiſſen will, der nnter dem obbeſchriebenen Titul das Werck in den Druck, oder zu deſſen Divulgirung Anlaß gegeben: Geſtalt man männiglich reſpective will angeſonnen und erſuchet haben, ſich an einen ſolchen Abdruck nicht anders, als einer zur Verunglimpffung des Herrn General-Superintendenten von böſen Leuten angeſehenen Sache, zu kehren, welche an den Auctorem und Drucker, ſofern beide, oder einer davon zu erforſchen, worauf man hiemit ein præmium von funffzig Reichsthaler, nebſt der Verſchweigung des Denuntianten, ſo er ſein Angeben probable machen kan, geſetzet haben will, mit allen Ernſt reſſentiret und beahndet werden, und die Exemplaria bey hundert Reichsthaler Straffe und der Confiſcation verbothen ſeyn ſollen.

reſpondeant; Eodem etiam tempore Leges Præpoſitis eccleſiarum in Ducatu Pomeraniæ Suecicæ, & Principatu Rugiæ, a ſacra Regia Majeſtate Sueciæ ibidem Generali Locum tenente & Regimine præſcriptæ, repetitæ & ad obſervandum publicatæ anno MDCLXVI. Nec non ſtatuta Synodalia für Ihro Königliche Majeſtät zu Schweden Vorpommeriſche Lande und Fürſtenthum Rügen Pfarr-Herren, Prediger und Kirchendiener confirmiret und publiciret anno MDCLXVI. typorum ope iterum imprimebantur.

Reliquum nunc eſt, Auditores O. O. honoratiſſimi, ut beneficium hoc maximum, quo Deus T. O. M. omnisque boni ordinis auctor ac ſtator ſapientiſſimus, Pomeraniam ducentos ante annos eſt complexus, quodque bonum hora hacce vobis commemorare ſum anniſus, grati animi ſancta pia devota ac fideli memoria cuſtodiamus atque aſſervemus. Ceſſit enim luci caligo, ceſſerunt fabulæ Pontificiæ veritati cœleſti, ceſſerunt fallaciæ veræ pietati.

Igitur de aſſerta, & per integra duo ſecula, inter innumeras temporum ac rerum difficultates, inter armorum ſtrepitus, & imprimis adverſariorum fraudes ac machinas, ſervata religionis evangelicæ & Ordinationis ſacræ caſtimonia, Pomerania gaudeat exſultet triumphet; Salutarem doctrinam & pietatem non in labris ſed in animis figamus, neque verbis tantum reddere, ſed factis etiam exprimere illam diſcamus.

Sic Deum habebimus propitium, & ordinationem eccleſiaſticam perennem integram & illibatam.

Idem ille Deus ſervet & ſoſpitet Regem noſtrum Auguſtiſſimum, Patrem optimum, Principem indulgentiſſimum: Regnet Auguſto diuturnior, Trajano felicior!

Servet Conjugem ejus ſereniſſimam & optatiſſimam, Matrem Patriæ multum clementiſſimam !

Eadem vota ut pro Academiæ hujus Cancellario Celſiſſimo & Magnificentiſſimo, nec non Academiæ ſalute & integritate nuncupemus, jubet pietas, devotus animus exigit.

Præſta, o Deus ! hanc Muſarum ſedem ſalvam quam feliciſſime quam diutiſſime.

Denique, Auditores honoratiſſimi, ſentio me adſtrictum ad gratias vobis perſolvendas humillimas, quod me dicentem veſtra præſentia ornare haud ſitis dedignati. Quæ vires mihi negabunt, ea pietas abunde ſupplebit.

D I X I.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Bähr, Johann Friedrich, / Bähr, Nicolaus Albert, / Bähr, Johannes,

Biga orationum secularium, quas in Academia Gryphica publice recitorunt duo fratres Germani, Tanglymenses alteram de historia et fatis librorum symbolicorum ecclesiae evangelicae in Pomerania ... Johannes Fridericus Baehr ... alteram de historia et fatis ordinationis ecclesiasticae

Gryphiswalda 1736

4 Diss. 3019,21
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11020163-6
VD18 10163824-003